This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

George Addison.
8: 256.

299s 1. 2

[illegible]

[illegible] Cocell.

1854

3/

POEMATA

PRÆMIIS CANCELLARII ACADEMICIS

DONATA

ET

IN THEATRO SHELDONIANO

RECITATA.

BIBLIOTHECA · BODLEIANA ·

OXONII,

IMPENSIS J. VINCENT, ET H. SLATTER.

M. DCCC. XXXI.

George Addis Oxon
8° 256

George Addison.
8: 256.

299s 1. 2

C Libris

C. D. Everett

1854

5/

Fata fugâ evasit, nimiumque faventibus auris,
Continuò in portum sese, segnesque latebras
Abdit, et e tutis prospectat Gadibus hostem.
Ignavâ intereà dudùm statione moratum
Impulerit seu lenta fames, sive addita fallax
Spes numeris, sociæque animet fiducia classis,
Stat pelagus tentare, atque arma infausta Britannis
Conserere, et dubiæ tandèm se credere pugnæ;
Demens! qui Nostros totiès expertus ovantes,
Ultrò se inferre et trepidas opponere vires
Ausus, et assuetos hosti instaurare triumphos.
Jàm matutino, scopulique et marmora ponti
Sole rubescebant, cœlum sine nubibus æther
Pandere luce novâ, et sopito murmure fluctus
Componi; placidæ per cærula Tethyos arva
Angliacas tacitâ se majestate moventes
Cernere erat puppes; puro vexilla sereno
ViX fluitant, lenique tumescit carbasus aurâ.
Ut verò hæc inter subitò data signa monebant
Vi conjuratâ deductas æquore puppes
Prospici, et instructas lunato ex ordine proras,
O! quanta Angliaci pertentant pectora nautæ

Gaudia! continuò ante oculos hortantis Imago
Stat Patriæ, sacer ille animos accendit, ut olìm,
Ignis, et instigat laudum insatiata cupido.
Nec mora; quin medio ne aggressos impete fallat
Hostis, et incautos curvatâ classe Britannos
Sepiat, instruitur geminus recto agmine contrà
Ordo ratum: sequitur paribus, sortita laborem
Quæque suum, spatiis; obliquoque ardua sulco
Findit aquas, mediumque instat perrumpere cornu:
Circùm cuncta silent; mortique simillimus horror
Puppibus incumbit, neque enìm priùs ingruit undis
Belli ingens tonitru, quàm obnixa carina carinæ,
Atque latus lateri; quàm transtra minantia transtris
Vincula dura tenent, ferratusque alligat uncus.
O! ubi jàm pelagus placidum, sudique diei
Purpureum jubar? Extemplò caligine cœlum
Obvolvi piceâ, et denso certamine junctas
Inter se puppes fumo circùm ignea nubes
Obruit, et latè feralibus incubat umbris.
At Sol decedens frustrà obluctata Britannis
Agmina, nec dubio suspensum examine Martem
Prospicit, exhausto ut sensìm venit ignis ab hoste

Pallidior ; sensìm jàm decrescente tumultu
Apparet strages, rerumque miserrima fractarum
Indicia, et laceris submissa aplustria velis :
Rarior erumpens adversâ e classe per undas
Auditur fragor, et mœstis sonat intervallis
Læsorum planctus, creberve extrema gementûm
Spiritus, aut in aquas jactum de puppe cadaver.
At verò intereà solitus nonne æthera Pæan
Perstrepit, assuetoque sonat Victoria plausu ?
Eheu ! funereæ nimiùm vicina cupresso
Laurus, et ingenti parta, eheu ! Gloria luctu !
Non hæc discedens dederat promissa Britannis
Ille suis ; neque enìm imposita est tàm dura triumpho
Lex ea Niliaco ; non merces illa subactæ
Elsinoræ : proh ! lapsa salus atque invida Fata !
Omine quem fausto reducem gratarier olìm
Sperabat Patria, et titulis decorare superbis,
Fortunæ secura nimis ! nùnc corpus inane
Expectat mœsta, ut saltèm (solatia luctûs
Tenuia !) supremos umbræ persolvat honores.
Scilicèt ille dies memori nunquàm excidet ævo
Quo tristes inter gemitus, concussaque luctu

Pectora, funeream ducens longo ordine pompam
Mandabat cineres Patriæ pia cura sepulchro :
Ibat mœsta phalanx, versisque exercitus armis ;
Ibant pullati proceres, lacrymisque Juventus
Regia suffusis, tantæ ne debitus umbræ
Desit honos, tristi fletu comitata feretrum ;
Pòst, quibus albuerant jàm longo tempora Marte
Fraterno desiderio solvuntur, inertes
Multa sibi dextras questi, tardamque senectam,
Quod non pro patriâ media inter fulmina belli
Contigit oppetere, atque hunc ignorâsse dolorem.
At fidi ante alios socii, (quêis gloria tanto
Sub duce militiam gessisse, tuumque, Trafalgar,
Unà ingens peperisse decus,) lento pede mœsti
Procedunt ; furtìm generoso e pectore rumpit
Eluctans gemitus, suspiriaque intus ab imo
Corde tument, grandesquè micant in lumine guttæ.
At verò irrepat ne quandò in tarda veternus
Sæcula, nec resides moveant ingentia belli
Facta animos, solido ponet de marmore signum
Anglia, et ingenti suffultam mole columnam ;
Aut veteres inter socios, ubi flumine labens

Cæruleo sanctas Thamesis præterfluit ædes,
Hospitia emeriti nautæ, fractæque senectæ;
Sive ubi candentes attollit maxima cautes
Dubris, et Atrebatûm portus et mille carinas
Despectat secura, et inertem provocat hostem.

Intereà egregiâ spectabilis arte Columna
Quadratam faciem, sculptisque horrentia pugnis
Attollat latera, et partes se pandat in omnes.

Principio, Eoos quà frons obvertitur Euros,
Fingat aquas opifex refluentiaque ostia Nili,
Et duplicem belli speciem, confusaque passìm
Signa, et nocturnis latè freta pallida flammis.

Parte aliâ, gelidam facies quà prospicit Arcton,
Elsinoram, et fusos proprio sub littore Cimbros,
Atque catenatas cælet fracto ordine puppes:
Quinetiàm in mediis, magnâque adstante coronâ,
Ipse heros, crines felici comptus olivâ,
Jura dabit populis et honestæ fœdera pacis.

Addat et illæsâ florentes messe Bahamas,
Fidentemque fugâ Gallum, dùm classe Britannus
Instat ovans: illum aspiceres freta tarda remensi
Culpare Oceani, segnesque in carbasa ventos

Poscere, et immissis raptìm dare funibus Austros.
Contrà autèm surgent longè spectanda, Trafalgar,
Saxa tua, ingentes surgent imitata triumphos
Marmora, non æquo tot rapta ex hoste tropæa,
Bisque decem nostro submissa aplustria nautæ.
Ipsum inter belli strepitus heroa juvabit
Mirari; nec jàm votivo vulnere morti
Ultrò occumbentem (quippe hæc æterna Britannis
Tristitiæ monumenta forent !) sed qualis inibat
Prælia, et in medio, placidus ceu pace, tumultu
"MUNERE QUEMQUE SUO FUNGI" (fausta omina!) nautis
Pectore composito mandans, vultûsque sereni
Lumine, felicis referens præsagia Martis.
At tu, seu nautis errantibus utilis olìm
Meta per hybernos fluctus, seu claustra propinquis
Certa dabas populis, ignoto in littore rupes
Hactenùs obscura, at seris nùnc addita Musis
Gloria, jàm demùm nostris præclarior armis,
Inter Atlantæos surgis memoranda triumphos.
Ergò ubi cæruleas albescere visa per undas
Nota patet cautes, secum altâ in mente volutat
Navita, dùm obtutu pendet defixus in uno,

Virtutes, sortemque Viri, visuque solutus
In lacrymas, te, sancta Anima, haùd oblita tuorum,
Voce vocat, surdæque preces immurmurat umbræ;
Continuò ante oculos adstare Herois Imago,
Inspiratque animis et amorem laudis, et ignes
Insolitos, et quicquid id est, quo rapta diei
Ætherios inter tractus, et luminis oras
Sese Anima evectam præter terrestria sentit.

JOHANNES LATHAM,

1806. COLL. ÆN. NAS.

PLATA FLUVIUS.

Salve, dives opum regio, generosa metallis:
Et tu, qui rapidum per centum immania regna
Flectis iter, salve, ingenti mirabilis undâ
Plata pater; cujus spumosi à fluminis oris
Navita inexhaustas extremi ad littora mundi
Vectat opes: et vos, uberrima fructibus arva,
Fontesque, et riguæ convalles—Vosque per annum
Velatæ nivibus semper canentibus arces
Andes aërii, scopulisque horrentibus altè
Educta ad cœlum juga maxima Cordilleræ;
Vos et vestra cano: nam vestro à vertice torrens
Aurifer ad Platam flavas devolvit arenas;
Vos illi innumeros gelidis è fontibus amnes
Sufficitis; vel qui Chacoæ torrida regna,

Vel Tucumæ campos, vel qui Potosia rura
Argenti fœcunda lavant: qualis ruit ingens
Parrana; quique undis liquidis et flumine molli
Pascit odoratas riparum in margine citros
Salada; atque aureis dives Tercera metallis,
Cujus gramineo nidos in littore ponit
Struthio, et educit prolem sub sole tenellam.
Scilicet his auctus, fluviorum maximus Ille
Majestate novâ molem provolvit aquarum;
Donec ab immenso tandem ruit ore, marisque
Exuperat salsos fluviali gurgite fluctus.

Tu vero, quàm longa olim per sæcula, cursu
Ignoto, et nullâ portus subeunte carinâ,
Volvebas magnam sine honore inglorius undam,
Plata pater! cùm te scapha tantùm pauperis Indi
Tranaret, sive ille feras agitaret agrestes
Impiger, hostilesve armis invaderet agros:
Necdum adeò Europæ magnis tibi classibus unda
Fervebat: necdum Hispanæ tua littora puppes
Attigerant; quas nunc latè super æquora ponti
Albion insequitur fugientes, et premit acri
Conflictu, gazasque audax populatur Iberas,

Atque tua ingenti circumsonat ostia bello.
  Scilicet haud olim nôrant mortalia sæcla
Fluctibus et vento se credere, nec mare magnum
Ignotis tentare viis; sed littora propter
Noctis iter dubium, siquod fuit, astra regebant—
Sic olim notos iterans sibi navita cursus
Mutabat Tyrias vicina per æquora merces,
Arctoam servans Helicen: et Persica quondam
Providus haud aliter parvâ cum classe legebat
Littora, Bucephalæ linquens jàm rura Nearchus,
Et refluis pelagi stridentem fluctibus Indum—
Nimirùm irati minitantia murmura ponti
Horrebant, sævoque actas Aquilone procellas;
Totaque navigii ratio tum cæca jacebat:
Usque adeo—donec se vis magnetica tandem
Prodidit, arcanis antehâc obducta tenebris;
(Seu fors illud erat, seu sic Pater ipse volebat.)
Ergo magnetis quæ tactu imbuta potenti est
Ferrea acus (miranda cano) fac pondere utrinque
Pendeat æquali; nempe ut se libera possit
Circum agere, et partes pariter se vertere in omnes:
Primùm illa incerto motu trepidare videtur,

Et temerè huc illuc dubio libramine ferri;
Fida redit tamen, et gelidos immota Triones
Spectat, et errantes certo monet indice nautas.
Nec mora—continuò visum est se attollere magnum
Ingenium, verique potens; qui mente animoque
Auderet majora sequi, et nova pandere fata—
Jamque adeò ipse, Tagi ripis patriâque relictâ,
Insuetum per iter, sitientis Gama Melindæ
Ostia, Mysoræque adiens novus hospes ad oras,
Oceani Australes docuit cognoscere tractus:
Mox etiam, majora audens, immensa Columbus
Æquora Atlantæi potuit tranare profundi;
Quem non horrisona insano stridore procella,
Nec ratis assiduo pelagi labefacta labore,
Incertæque pericla viæ, comitumque paventum
Dimovêre minæ, nec magna et clara petentis
Compressêre animum; donec reserata paterent
Oceani claustra, atque novus se panderet orbis.
Ergo per immensos pelagi jam navita tractus
Quærit iter: sive ire juvat quà turbida crescunt
Flumina Laurentî, Canadæque invisere fines;
Sive illum invitet cœli jucundior aura

Quærere Platæo perfusos flumine campos:
Nullâ etenim regione suas magis alma profudit
Divitias et opes Natura, nec aureus unquam
Decedens dilecta magis Sol respicit arva;
Nam neque florentes hiberno sidere campos
Nix concreta tegit; cano neque flumina constant
Stricta gelu; aut miseros informis bruma colonos
Frigoribus mordet, contristant qualia cœlum
Horrida, quà glaciem trudunt ad littora fluctus
Dura maris Scythici, vel quà stridentia cervi
Propter Hyperboreum rapiunt sarraca Booten—
Nec tamen hìc nimiis æstiva caloribus ardet
Temperies, quamvis sub eodem sole jacentes
Æstibus horriferis Afræ torrentur arenæ:
Nimirùm æquoreos verrentes flatibus Euri
Assiduis fluctus, Paraguæ mollia regna
Invadunt, mulcentque æstum intractabilis anni:
Hinc facilis tellus gremio sua dona feraci
Magna parens frugum effundit; sylvæque coruscus
Semper frondet honos; tum armentis undique magnis
Tondentur rigui saltus, campique patentes;
Lætaque perpetui veris se ostentat imago.

Nec tibi, Plata, olìm deerat tua flumina propter
Acre virûm genus, adversis se opponere turmis
Fortiter, et patrios suetum defendere fines:
Non illis, Limæ veniens à littore victor,
Nec ferratæ acies hominum, et, nova Martis imago,
Quadrupedum insolitæ species, flammantiaque arma,
Incussêre metum populis; nec fortia corda
Hispanæ celeri debellavêre cohortes
Exitio, quali veteris solia alta Peruæ
Conciderant, Bortæque decus, Solisque propago:
Contrà illi æternis odiis nova bella movere,
Et nunc palantes hostes per devia rura
Opprimere insidiis, nunc castris nocte silenti
Exuere, atque novis surgentes mœnibus urbes
Aut vi disjicere, aut rapidis circumdare flammis.
Fortunata nimis regio; si nunc quoque, quantùm
Muneribus variis aucta es cœlique solique,
Tantùm etiam aucta fores virtute animisque tuorum!
Fortunata nimis regio; si in sana rediret
Consilia Hispanus; si tandem turpia vellet
Vincula desidiæ, et longum excussisse veternum!
At nunc te mollis luxus, lucrique cupido

Sola tenet; miserisque fremens erroribus angit
Vana superstitio—intereà neque libera virtus
Mentibus, aut diam offundit sapientia lucem,
Nec sanctæ æquali cohibent moderamine leges.
Heu miseri! non ista parens Hispania vobis
Addere, nec populos potis est curare remotos,
Quam ruitura gravant propioris pondera regni:
Ipsa adeò, nudata opibus, famæque prioris
Oblita, ipsa, eheu! vix jam sibi servat inanem
Imperii speciem, atque antiqui nominis umbram,
Proh pudor! externos tantùm non passa tyrannos.

GUL. JOHN LAW,

1807. Ex Æde Christi.

DELPHI.

Vos O Aonii fontes, vos maxuma Phœbi
Templa, et Bassaridûm toties lustrata choreis
Culmina Parnassi, et scopulis pendentibus antra,
Credita sancta olim, et manifesto numine plena,
Non ego vos vano, ceu quondam Graia vetustas,
Adveneror cultu, nec tu mihi, Delphice Apollo,
Interpres veri fictis celebrabere votis,
Prognatusque Jove, et venturi præscius ævi.
At potius, quænam ista hominum per sæcula longa
Vana superstitio se mentibus insinuârit,
Unde sibi primos ortus, unde augmina tanta
Duxerit, expediam paucis, causasque docebo.
  Id primum liquidò constat, non posse carere
Relligione aliquâ, sanctoque timore deorum

Humanas mentes—Fateamur multa necesse est
Quotidiè in terris fieri, aut cœlestia mundi
Templa super, vires longè exsuperantia nostras.
Nam nihil arbitrii nostri est, quòd sidera cœli
Noctivaga, et roseâ sol altè lampade lucens,
Lunaique globus certos volvantur in orbes;
Nec quòd se in terras demissi cœlitùs imbres
Præcipitent, fruges unde atque injussa virescunt
Gramina, et in cœlum ramis felicibus arbor
Exit, fronde novâ ridens, fœtuque gravata.
Prætereà, non ex nutu aut moderamine nostro
Eventus rerum varios pendere videmus,
Fortunæque vices, cujus metuenda potestas
Imis summa valet mutare, atque infima summis,
Atque homines pro ludibrio sibi habere videtur.—
Quocircà haudquaquam mirum est, si hæc omnia vellent
Mortales divûm ad nutum imperiumque referre.
Rectè equidem, modo si, erroris jam nube remotâ
Nôrant æternum ficto secernere numen,
Et non in vanos ritus, commentaque vatum
Relligio sensim nativa hæc degenerârat.
Nimirùm hinc fuso divûm simulacra cruore

Fœdari, hinc templis suspendere dona profanis
Turba salutantûm, seu quos mens conscia culpæ,
Seu quos impulerat famæ insatiabilis ardor
Scrutari, quam quæque ferat lux postera sortem.
Usque adeò, ingenita est menti cæca ista cùpido,
Quæ temerè humano penetrare abscondita visu
Ardet, et incertos rerum prænoscere casus—
Quorsùm igitur mireris, apud mortalia sæcla
Auguria hæc, quocunque essent à fonte profecta,
Tantam habuisse fidem, tantoque in honore fuisse?
Tum quoque præcipuè, populo si fortè petenti
Non nisi faustum aliquid vates sponderet, et omnes
Venturæ blandâ captaret imagine sortis—
Nam temerè id credunt homines, quod cuique libido est
Credere—Nonne vides, siquis felicia nobis
Finxerit eventura, animum spes lactat inanis,
Et stillat faciles fallacia dulcis in aures?
  Talibus illecebris malè credula succubuêre
Sæcla vetusta hominum—et, vulgo plaudente, per agros,
Pastorumque inter cœtus, et rustica tecta,
Spargere vaniloqui audebant mendacia vates.
Mox et cœpta etiam delubra ingentia divûm

Institui, arcanas sortes ubi ritè sacerdos
Creditus est, et vera dei responsa referre.
Sic olim, ut perhibent, prope flumina Cæratea
Creta suum est venerata Jovem, et tibi, corniger Ammon,
Surgebant sanctæ Garamantum in littore sedes.
Verum aliis potior longè, et magis inclyta visa est
Delphorum alta domus, tuaque, O Latonia proles,
Stabant præcipuis cumulata altaria donis.
Usque adeò, visum est tibi soli numen inesse
Sanctius, et venturi ævi prudentia major.
Ergo tua innumeræ scitatum oracula gentes
Conveniunt—Nec sancta tamen venientibus ultrò
Pandunt sese adyta, aut templi magna ora dehiscunt.
At contrà longas multâ prius arte sacerdos
Nectit cauta moras—Nimirùm ut ritè parentur
Omnia, quæ attonitam possent percellere mentem,
Totaque se expediat magnæ sollertia fraudis.
Inde ubi jam patuêre fores, visa omnia circum
Intremere, atque agitata comas Parnassia laurus
Huc illuc, Phœbo tanquam adventante, moveri;
Et magicæ voces, et falsa tonitrua ab imis
Immugire adytis, et murmura fracta tubarum

Tum rabiem et furias simulans lymphata sacerdos
Conscendit tripodem, atque arcana oracula pandit.
Ingemit horrendùm resonans—spumas agit ore—
Aspiceres vultus turbari, et contremere artus,
Et rutilare oculos, tanquam quæ exercita cursu
Nocturno Thyas, fœdis agit orgia ludis.
Hinc deinùm aucta fides. Hominesque hæc monstra [vereri,
Hæc præter solitum, et naturæ fœdera præter
Attonitis inhiare oculis—Ea creditur haustus
Ætherios traxisse, et jam prænuncia fati
Fundere veridicas, instanti numine, voces—
Nec me animi fallit, ficta hæc oracula Phœbi
Cessisse in verum nonnunquam—Non quod in ipsis
Veri vis aliqua aut divûm sapientia inesset;
Sed ratione aliâ fieri id potuisse putandum est.
Primùm etenim, haudquaquam nobis cæco omnia nutu
Incertâ sub sorte regit fortuna gubernans.
Sed potius, communi aliquâ sub lege videmus
Fata hominum plerumque atque uno in cardine verti—
Scilicet, ut causis ex iisdem fœdere certo
Et fortuna eadem, atque eadem mox fata sequantur.
Ergo si cui animo suberit prudentia velox,

Quæ rerum nexus longo percalleat usu,
Illi etiam facile est rectè multa, et sapienter
Conjicere, et tanquam præsagâ voce monere,
Quæ sint eventura, et quid sua cuique ferat sors.
  Tum quoque multa latent humanæ incognita menti
Arcanis venturi ævi velata tenebris,
De quibus in dubio est, utrum sint, necne futura.
Eventura autem, aut non eventura necesse est—
Porrò, et si eveniant, fausta aut infausta futura.
His igitur si quis de rebus voce profari
Fatidicâ audebit, ceu quondam Pythia vates,
Verum inter falsumque, æquata lance, necesse est
Pendeat, et partes nunc has, nunc vergat in illas;
Ergo (prout vario dederit discrimine casus
Fortuna) in multis mendax falsusque cluebit,
Sed tamen in reliquis verum tetigisse videtur.
Quin et ubi erratum est penitus, tamen hic quoque vatum
Subdola calliditas aliquid sibi semper habebat
Subsidii—Neque enim puduit, si nil aliunde
Suppeteret, quo se possent exsolvere culpâ,
Verborum dubios ad sensus, ambiguosque
Nexus confugere, atque hâc se ratione tueri—

Nec mirum—Haud etenim simplex aliquod vel apertum
(Quod decuit) præ se divûm hæc responsa ferebant,
Sed dubiâ potiùs verborum ambage latebant.
Sic olim falsi deceptus imagine regni,
Crœsus Halyn superans, dubio se credere Marti
Audebat, Persasque infausto incessere bello,
Magnamque, at quam non voluit, subvertit opum vim.
Sic etiam Æacidem, genus armipotentis Achillî,
Impulit ambiguæ ratio perplexa loquelæ,
Ut sibi concessam fatis, et numine divûm,
Crederet Ausoniam, et Mavortia mœnia Romæ,
Nempe unum sese Romanos vincere posse,
Chaoniisque Italas gentes adjungere regnis.
  Hæc olim fuerint—His olim, Delphice Apollo,
Fraudibus antiquas potuisti fallere gentes.
At tandem turpesque doli, atque inscitia veri
Diffugêre—Superstitio mendacia fingens
Victa ruit, puroque locum concessit honesto,
Et vani cessêre metus—Jam non pater ultrà
In tenebris homines divinæ lucis egentes
Palari sinit, et fontem ignorare salutis.
Jamque, jubente illo, Phœbea oracla silescunt :

Et, neque Thymbræi expectat responsa sacerdos,
Nec gentes votis, ductisque ex ordine pompis
Vana petunt consulta, onerantque altaria donis.
Conticuit domus alta—jacet Parnassi laurus,
Castaliique silent fontes—ipsa ardua templi
Atria procubuêre; atque inter devia rura,
Nullo trita pede, et sylvestribus horrida dumis,
Disjectæ tantùm moles, avulsaque saxa,
Et rara antiquæ apparent vestigia formæ. 15 b.

GUL. CLEAVER,

1808. Ex Æde Christi.

CORINTHUS.

Eheu! quam suave est animo vestigia rerum
Prisca remetiri, et famæ monumenta vaganti
Inter, præteritos circumvectarier annos;—
Suave et, si teneat quid amabile sacra vetustas,
Haurire, oblatosque manu decerpere flores.
Atque equidem, dulci quodam perculsus amore,
Occiduos linquo saltus patriasque Camœnas,
Longius advertens Ephyræa ad littora proram:
Hic ubi regifico, ut perhibent, urbs splendida luxu
Turrigerum Graias supra caput extulit arces,
Nunc gens rara casas squalentesque incolit agros
Turpis, egena, ferox; cui nulla insignia possunt
Facta movere animos, adeo miseranda coercet
Segnities, veterumque vetat meminisse parentum:
Qualis ab Ionio quondam provecta Lechæo,

Crissæumque secans rostratis navibus æquor,
Ibat densa phalanx, remorumque agmine contrà
Ausa in Cecropias committere prælia classes:
Insolito quoties maria immugire tumultu
Audiit amnis agens rapidas Achiloëus undas,
Et Naupactæo tremuerunt littore cautes.
  Arce sua interea et pendentibus æquora saxis
Subjectamque hyemem tempestatumque furores
Despiciens, geminoque tenens claustra addita ponto,
Diva Ephyræa sedet, solioque acclinis in alto
Dividit Arctois Pelopeïa mœnia regnis—
Ergo ubi jam secura simul terrâque marique
Austrinos longè tractus humilesque Mycenas
Prospicit, Eoamque aspectat Palladis Arcem,
Ipsa domos proprias et inexpugnabile servat
Imperium, et Graio custos dominatur in orbe.
Nempe illi dubiæ sors omnis credita pugnæ,
Seu melius portu armatas deducere classes,
Seu melius scopulosque et propugnacula bello
Objicere, instratum veluti super æquora pontem.
  Hic quoque læta suam mirata est Græcia pubem
Acciri, et solito veteres certamine ludos

Rite instaurari, et dura incunabula Martis—
Quin age—dum spatia aspicies discumque volantem
Saltumque, alternoque sonantia verbera cæstu,
Et spumam, flatumque gravem et suspiria anhela
Attolli, et læto circum fremere omnia plausu;
Tu ne vana putes tantæ spectacula pompæ,
Donaque Neptuni, et victricis præmia pinûs—
Scilicet haud aliâ nascuntur origine vires
Dura pati assuetæ, studiisque virilibus aptum
Ingenium, et meritæ laudis generosa cupido,
Sanctus amor patriæ, majorumque æmula virtus.
  Nec minus has advectæ oras maria omnia circum
Occiduæ portantur opes, portantur Eoæ,
Et dulces Arabum curæ, Æthiopumque labores,
Quæque colorati mittant de saltibus Indi
Gangem ad arenosum aut Nysæum propter Hydaspen,
Quot Libyæ fruges, quot et arva recentia Nilo
Dona ferant, lini segetem bibulamque papyrum.
  Felix muneribus tantis Ephyreïa tellus!
Felix ingenio, studiisque exculta tuorum,
Cui pulchræ Vitaï Artes, Veneresque decoræ
Adsunt, atque unà gaudent se inferre ministras.

Hæ vero unde novæ primum se pandere menti
Inciperent, placidoque dehinc mansuescere cultu,
Dulcis amor tibi causa fuit—quâ calluit arte
Testor sollicitum Virgo lenire dolorem:
Non illi poterat Juvenis jam certus eundi
Permulcere animum, et tanti solatia luctûs,
Eheu! nulla ferunt aut vox aut vultus amantis:
Et nunc fessa jacet perfusus membra quiete,
Crastina longinquis quem lux disjunget in oris;
Illa toro invigilans noctem, metuensque diei
Languida, in adversis radiantem ad lumina cernit
Parietibus formam juvenis, pingitque jacentem:
Tum quantâ aspectat dulcedine læta figuram,
Miraturque novas artes, operumque labore
Solatur lachrymas, et imagine fallit amorem.
  Hinc facili vivas imitarier arte figuras
Inventum, et cæli venit mirabilis usus.
Aspice ut excisis riguere ingentia saxis
Membraque, fatiferæque manus, fortesque lacerti
Herculis indomiti, ut plenam regit æneus urnam
Neptunus, musco crines redimitus et algâ,
Cælato effundens liquentes marmore lymphas.

Illam autem, rerum facies cui dædala cordi est,
Et subtilis honos, et pictæ gratia formæ,
Indigetemne Deam memorem? aut quo carmine dicam
Ut facili (tam læta suas accingier artes)
Pingit acu tabulam, fucumque et mille colores
Immiscens operi, pluvialemque Iridis arcum?
Ecce tibi vivæ similis, similisque loquenti
Heu! quoties nimium fallax sub imagine Nymphæ
Se venienti offert, pictisque efficta tapetis
Dulce rubet Cytheræa, et virginis ora Dianæ.
Fas et marmoreas ædes et maxima regum
Hospitia, et Divûm penetralia sancta tueri;
Continuo tibi quale decus, quæque optima constet
Junctura inter se trabium, queîs legibus arctè
Connexa in seriem possint tabulata teneri,
Et quis cuique labor, quantusque arrideat ordo
Suspicias—viden' ingenti stans mole columna
Quale supercilium ostentet, qualique per artem
Mollius intexat simulatâ fronde coronam:
Quanquam etenim solido jactet se corpore moles
Tusca, et inornatis firmet vasta atria saxis,
Compositas quanquam comptâ gravitate columnas

Doris amet, triglyphoque suas insigniat ædes,
Ioniumque decus cultu leviore nitescat
Et sculpti flexu capitis, sed gratia princeps
Regifico quæ te fastu, lautâque, Corinthe,
Majestate ornat, proprioque superbit acantho.
Quale tibi specimen Tyberina ad flumina servans
Relliquias Stator egregias terno ordine tollit
Testor, et has desiderio quo sæpe viator
Lucentes tacitæ tremulo sub lampade Lunæ
Præteriens veneratur, et altâ in mente revolvit
Mira operum indicia, et fracti monumenta laboris.
Dum verò has agitare artes vitamque juvabat
Excolere, et veneres gremio excepisse decoras,
Interea patrio claudi indignata recessu,
Diva Ephyre, socias voluisti adjungere gentes,
Et jura et populos nascentibus addere regnis:
Principe te creti Ambracidæ; nimiumque rebellis
Rem Corcyra novam primùm deduxit, opesque
Infidas, et mille rates; tibi debuit urbem
Illa inter Siculos regio ditissima saltus,
Cognatumque larem, et parvæ primordia gentis.
Nimirum his freta auspiciis, et septa frementi

Utrinque oceano, præruptisque ardua saxis,
Sperasti æternam secura in sede salutem:
Heu! spes vana hominum, et longi labor irrite sæcli!
Victa jaces Ephyre!—nec te tua plurima virtus,
Neptunusve tuus geminâ circumfluus undâ
Præstitit incolumem, aut sanctæ tutela Minervæ.
Barbarus has sedes, et turbida Martis imago
Terruit, et quæ mille ferens lacrymasque, metusque,
Desolatâ Asiâ, et Carthaginis aucta ruinis
Roma triumphatum furiis permiscuit orbem:
Illam irrumpentem flammis, et cæde furentem,
Non potuit cohibere, ausisque avertere iniquis,
Relligio veneranda loci, sed fortior ira
Impulit, et sævi scelerata licentia ferri.
  Navita tum, Ægæas placidâ dum nocte secabat
Serus aquas, ignes per opaca silentia vidit
Insolitum rutilare, atque increbescere ponto
Fulgura—mox stragem propius conspexit, et arcem
Cenchræam et tristi pallentes lumine portus,
Sublimemque jugis nutantibus Acro-Corinthum
Contremere, et quassam dubiâ pendere ruina:
Sulphureo interea rapidus cum gurgite torrens

Convulsas de sede domos et templa Deorum
Volveret, extemplò liquefacti fragmina ferri,
Et rivis resolutum aurum, sudantiaque æra
Confluere, omnigenisque fremit conflata metallis
Massa Corinthiacæ decus impositura ruinæ.
At te, diva Ephyre, cujus sub numine crevit
Sedibus his olim tantarum gloria rerum,
Dum fortuna fuit, tot jam volventibus annis,
O! si triste gemens fatum sola umbra vagaris
Avia per nemora, aut deserto in littore pendes,
Ne meminisse tuos pigeat quos advena honores
Rite colo, et seræ mentem attendisse Camœnæ.

PETRUS MERE LATHAM,

1809. COLL. ÆN. NAS.

PYRAMIDES ÆGYPTIACÆ.

Vos, oh Pyramidum ætherias adeuntia nubes
Culmina, et æternæ moles, vos ebria pleno
Numine inexpletùm mens arripit—O ubi Thebes
Centum aditus, ubi Giza, et Memphidos inclyta bello
Mœnia, turrigeræque arces? Qui me tua propter
Flumina, Nile pater, temerè inter amata locorum
Sistat anhelantem? qui palmæ protegat umbrâ,
Et Pelusiaco circumdet tempora loto.
  Dii patrii indigetes, quibus olim cura superbum
Ægypti fovisse decus, (si fortè columnas
Nunc etiam ad lapsas, miseræque cadavera pompæ
Fletis adhuc, regni recolentes signa prioris,)
Dicite vos, quæ tanta manus, quæ dira cupido
Jusserit has moles, veterum hæc miracula rerum
Tollere humo capita, et liquidas consurgere in auras.

[1] Crediderim sanè divinâ voce magistri
Paullatim exciri, (primâ ceu luce diei
It vapor e campo tenuis,) dum plurima circum
Reddebat lyra pulsa sonos, Genioque jubente
Natalemque horam, et primos celebrabat honores.
Sic et perpetuas inter memoratur arenas
[2] Palmyram crevisse opibus, sic Solis amatas
Emicuisse arces; illas tamen obruit ætas
Invida, Pyramidum quæ saxa audacia cœlo
Stare sinit, nec adhuc integros carpsit honores.
Improba mens hominum, assiduis exercita curis,
Nil ergo metuis struere, et te nulla laborum
Perterret facies? sperâsti posse supernas
Cœlicolûm violasse domos, laticesque Deorum
Nectareos rapuisse inconcessosque triumphos.
Nam perhibent Terræ prolem, voluisse gigantes
Centimanum Gyan, Enceladum immanemque Mimanta
Hæc eadem; sed et ipse Pater sub Tartara adegit,
Fulmine præcipites, sociusque in prœlia Phœbus,
Et Semeles Puer, et desectâ Gorgone Pallas.

[1] Paradise Lost, B. i. v. 710. [2] Palestine 176.

An potius timor ille, animos circum omnia versans,
Præteritæ memor, et venturæ providus iræ,
Ingens maturavit opus; nempe hinc fore ab undis
Perfugium, si majestas temerata Deorum
Exarderet adhuc, gravidosque recluderet imbres,
Obrueretque omnem superanti flumine terram,
Hæc fore tuta loca, hinc cœlo superesse furenti.
Quis scit, an humanæ pietas sapientia mentis
Hâc fuerit lætata domo; cum, sole orienti
Libarent Divo, atque adolerent thuris odores?
Scilicet ipsa adeò Suprema Potentia rerum
Luce in perpetuâ, rapida inter fulmina, et inter
Ignivomas nubes considere; et omnia formans
Semina, terrarumque polique elementa marisque,
Creditur esse ignis; quin ipsa et flamma figuram
Pyramidum testatur amans, formâque sub illâ
Surgit apex, superamque affectat rarior æthram.
Felix ille dies, quo pulchrâ in margine Nili
Extulit os sacrum Sophia, et cœlestia fudit
Lumina, purpureumque jubar, primum illa relinquens
Dulce Patris gremium, et signans vestigia terris.
Illa etenim causas eternaque fœdera mundi,

Solemque, et liquidi facies cognoscere cœli
Edocuit varias; ante omnia credere jussit
Immortalem animam; quo protinus ordine menti
Emicuit nova lux trepidanti; hinc optima rerum
Nascitur alba fides, et vitæ prodiga virtus.
Sed quod res hominum certâ ratione necesse est
In pejus ruere, et labenti labier ævo,
Paullatim ingruerent errores; deinde putatur
Nostrum animas, perfecto ubi sedes sidera cursu
Succedunt in easdem, et Magnus volvitur Annus,
Protinus hanc vitam, superasque revisere terras,
Atque sua integras in corpora quasque reverti.
[3] Ergo curari functos, et viscera multo
Compleri melle, et medicati thuris odore;
Tum cerebrum rapitur mirâ arte, et inutilis humor
Decoquitur; piceoque oleo cretâque tenaci
Obducunt vestes, vestes sacra carmina signant,
Et diræ facies, inscriptaque nomina Divûm.
His quippe auxiliis liquidam depellere tabem
Sperant, et vitæ ingenuos præstare colores.

[3] Herodot. Euterpe, 86.

Nec satis hoc, nec et asbesti prope corpora flammam
Pascere perpetuam, vivoque bitumine noctem
Horrificam pepulisse, (Erebi quo numina placent
Custodes Geniosque loci,) nisi tuta sepulchri
Limina donassent, et non penetrabile bustum.
Ergo servitium immane indignosque labores
Mussantes subeunt cives; ergo omnis ubique
Cessat honos Superûm, et squalent rubigine longâ
Clausa (nefas) delubra Deûm—quin ipsa Tyranni
[4] Filia, tot proavûm deducta ab origine regum,
(Proh tua jura pudor!) sese cupientibus offert
Venalem, populoque vagos disperdit amores—
Scilicet ut tanto posset recubare sepulchro.
Vos etiam, Isacidæ, miserâ ditione subacti,
Vos referunt inter lacrymas et herilia probra
Inservisse operi; quoties aversa Parentis
Numina, et hospitium proavorum, infractaque legum
Fœdera flebatis libertatemque negatam.
At tu supplicio quali scelera ista Canope
Solvisti, et quanti doluerunt Vindicis iram

[4] Herodot. Euter.

Desolata arva, atque exhaustæ civibus urbes,
Sanctæ ergo sedes, penetraliaque ima profundi
Divisis patuêre undis; ergo alta Sinaæ
Et tonitru et flammis liquefacta cacumina præsentem
Agnovêre Deum, insolito quin pondere tellus
Contremuit, fulsêre ignes, ruit arduus æther.

Nunc age, quo propius saxa aspectemus eundum est:
Noctis iter; sic ire juvat: celere ecce paratur
Remigîum, adverso remis enitimur amne.
[5]Nox tenebris quàm pulchra suis! silet aura, silentem
Roscidus humor habet; nullus viden' æthera purum
Aut vapor, aut macula, aut nubes infusa serenam
Conturbat cœli faciem; pleno orbe superba
Cœruleum in spatium, liquidoque in tramite Luna
Volvitur, et tremulâ tingit latera ardua luce
Pyramidum, procul argenteis fastigia summa
Molle nitent radiis; medio velut aspera ponto
Vim tumidi rupes ridet maris, irrita circum
Spuma volat radiatque volans; aut cœlifer Atlas
Perpetuâ nive canus, ubi caput omne orienti

[5] Thalaba i.

Tactum sole nitet, roseumque repercutit ignem.
Nox tenebris quam pulchra suis! leviter super undas
Cymba volat, resonant pulsato flumine remi
In numerum, dum nauta laborem et tempora fallens
Solatur cantu; jam nox pallescere cœpit,
Et venit expleto vix certa Aurora labore.
Continuo ascensus nisu superamus iniquos,
Dura via, abruptis saxis solidoque adamante
Sublata in nubes: viden' ut fastigia nactis
Æstuat immensus, pleno jam flumine, pontus
Sub pedibus, viden' ut ponto nova gloria Phœbi
Purpureum jubar et vivum superinjicit aurum.
Extant fulgentes raræ super æquora turres,
Oppidaque, et tenues pagi, et delubra Deorum,
Et sylvæ coma summæ, et strata extructa viarum.
Hic steterunt arces Memphitidos; hic Labyrinthi
Mille viæ; illic Sphinx unâ de rupe biformis
Tollit adhuc faciem, et collo supereminet undas.
Parte aliâ [6]Hermopolis jacet ævo effœta, ubi primam,
Sævitia atque odiis insani pulsa tyranni,
Magna Dei genetrix, erroris fessa, quietem

[6] El Matharia.

Carpsit, et elusi rabiem secura fefellit:
Nunc etiam puri cultus, nunc parvula castam
Signant templa locum, inque humili nitet ara fenestrâ
Lignea, nunc etiam longævus rite sacerdos
[7] Sacra Crucis colit, et meritos instaurat honores.
Audin' quo strepitu solvit se tota Caïrus?
Solennes ducunt pompas longo ordine matres
Virgineique chori; precibus stipata Deorum
Templa sonant, [8] ardetque frequens per compita Pæan.
Nec mora: panduntur portæ; juvat undique cymbas
Complere, et mersos circumvectarier agros.
Quippe anni jam certa seges; simul incipit orbem
Vertere hyems, non sæva gelu, non horrida nimbis,
Læta sed autumni messe, et vernalibus auris.
Fama est Pyramidum niveâ latus omne recentum
Marmoris indutum specie micuisse, sed ætas
Deripuit spolia, et nimios invidit honores.
Nunc via descensûs levior—medioque operosæ
Panduntur fauces, ruptique foramina saxi.
Hinc sedes secreta patet, penetraliaque imæ

[7] Ogilby's Africa. [8] Παιὰν δὲ λάμπει. Œd. Tyr. 187.

Atra domûs; ubi nox squalentia regna ministrat,
Nec patitur lucem, solioque superbit avito.
Qua datur, irruimus; flammarumque ordine longo
Illustramus iter cæcum, pavidosque anfractus.
Protinus infelix bubo miserabile carmen
Integrat, obscœnæque avium circum undique gentes
Clamore assiduo, et dirùm stridentibus alis
Ad lucem trepidant, violataque regna queruntur.
Jamque adeo extructi tandem media atria montis
Venimus: admiramur opus, tantasque columnas
Atque solum, et vario laquearia lubrica saxo.
Ingens Sarcophagus rapto stat corpore nudus
Ante pedes, et fictilibus circumdatur urnis—
Proh tumidos fastus, ridendaque mausolea!
At non hæc menti dederas promissa, tyranne,
Nec spes illa fuit, quando secreta sepulchri
Ausus eras tentare, et non violabile tectum,
Artemque, et nodos, et claustra obstantia rupit
Auri sacra fames, et habendi invicta cupido.
Suave inter tenebras (quanquam nec flore rosarum,
Palmite nec gracili, nec myrto intexitur antrum)
Hic etiam antiqui revocare insignia sæcli.

Jam videor strepitus belli lituûmque minaces
Exaudire sonos, cædemque, aureosque triumphos,
Funeraque, et lacrymas, et spes, et naufraga vota,
Fatorumque vices, et vitæ mille colores.
Magna etenim fueras, Sophiæ pulcherrima nutrix,
Magna opibus, belloque potens; tibi fama Sesostrin
Vindicat, et domitis subvectum regibus axem.
Quin tu, si quid honos restat, si quid nisi nomen
Et levis umbra tui, tandem colla ardua tolle,
Tolle animos, Ægypte, tuos—sat vidimus ægri
Dedecorum, sat iniqua tulerunt otia luctûs.
Quid memorem Gallorum acies, Arabûmque per agros,
Flamma velut stipulam percurrit, dira furentûm
Agmina, et invictos pro libertate Britannos?
Illi etenim inter se miscentur cominus armis,
Et rapiunt, et agunt; dum tu, fortissima frustra,
Somnum agis, et graviter propria inter bella quiescis.
Nunc o rumpe moras—testor decora addita cœlis,
Aonosinque ferocem, et Lagi nobile nomen.
Testor et Oceano junctum mare, nostraque remis
Æquora pulsanda Arabicis, ratibusque Sabæis.
Quid memorem Auroræ matri sua fata querentem

Memnona, et ætherios resonantia marmora cantus;
Quid te quæ plorat, pater o Romane, Columnam,
Pellæique arces ducis, ingentemque Serapin,
Sublimemque Pharon, Mareoticaque arva Lyæo
Dulcia, et, humanos fassam te, Mœri, labores.
Magna etenim fueras! tibi propter flumina Nili
Infantes lusêre artes: resoluta veterno
Græcia adhuc torpebat, adhuc sine nomine Elyssus
Et vaga Callirhoe, atque incædua sylva Lycæi.
Hæc fuerint! sed enim tempus (velut æquor arenæ
Progreditur paullatim, et flavos obtegit agros)
Irruit, et priscos tandem tumulavit honores.
Sola sedens, lapsi decus illætabile regni
Servat Mnemosyne præsens, lacrymisque tuetur
Tristes reliquias, et magni nominis umbram.

J. T. COLERIDGE,

1810. COLL. C. C.

HERCULANEUM.

Per terram antiquâ Ditis caligine mersam
Tendere, et umbrarum sedes penetrare sepultas
Fert animus. Quisnam mihi dux Cyllenius altum
Pandat iter? quæve inferiæ comitentur euntem,
Exsanguesque pio flectant libamine Manes?
Scilicet haud ambage expers specus; undique longâ
Nocte silet. Simul ipsa sono vestigia terrent
Ingressos, tumulique situs deformis obumbrat.
Hìc terræ ingestæ moles supereminet; illic
Indurata diu, atque ambustis cautibus horrens
Congeries, qualis ferro Vulcania sordes
Effluit ardenti, et calido carbone cohæret.
Fama refert, bis ter liquefacto hæc stramina saxo[1]
Montem, et sulphureis superinjecisse ruinis,

[1] Vid. Kotzebue's Travels in Italy.

Atque novas totidem segetes ex ordine fractis
Tellurem glebis Italo donasse colono.
Felix ille dies, qui primum illuxit avitis
Thesauris, retegens miracula condita rerum.
Fervet opus, jussu regum, (quippe id fore sæclo
Grande putant decus, et volventibus addere nomen
Posse aliquod fastis;) juvenum manus expedit antro
Ignavam molem silicum, et tellure reclusa
Altius usque viam, si quæ vestigia servent
Indicium, peragunt; cumulosque avertere putres
Effossis properant specubus, ceu viscera terræ
Argento fœta eruerent, aurive metallo.
Nec priùs absistunt, quam se ferrum imprimat imis
Sedibus, in solido crepitans; ibi limite aperto
Copia tota loci datur, et spatia urbis habentur
Subter humum visenda. Ergo[2] mirantur ubique,
Sive repercussâ tædarum luce coruscant
Stantia signa foro, et bellaces ære quadrigæ,
Sive nitent templi patefacto in limine Divûm
Effigies truncæ, penetraliaque obruta servant.

[2] Vid. Kotzebue's Travels in Italy.

Pars tectorum aditus molitur, et atria cæca
Vi penetrat. Multa hic, varius quot postulat usus,
Quæque manus inter veterum consuêrat habendo
Vita hominum terere, et laribus proponere lautis;
Poculaque, tripodesque, et mensam onerantia vasa.
Apparent passim, quales morientis amici
Hesternas vestes, monumentaque cara doloris,
Certo quæque loco pietas intacta tuetur.
Mirantur[3], pictos ut prætereuntia muros
Lumina dant oculis. Nusquam tam vivida Soli
Panditur innumeris suffusa coloribus Iris.
Talia lotifero quæ præterlabitur ingens
Flumine, primævæ jactat sibi mœnia Nilus
Memphidos, aut magni monumenta relicta Canopi.
Cur steterint vivo jamdudum florida tinctu
Mœnia, nec faciem mutent semiusta perennem,
Causa latet; præsens artem frustrà aspicit ætas.
Illic[4] cernere erat, quantus certamine duro
Semiferi victor Theseus redit; Attica pubes
Quem circum mirata premit. Dux inter ovantes

[3] Pitture Antiche d'Ercolano. [4] Id.

Incedit, mediusque toroso corpore supra est.
Funditur ante pedes taurinum sanguine vultum
Horridus, hirsutos extendens semifer artus.
Parte[5] aliâ Alcides, inter cunabula victor,
Dat vitæ illustris divinorumque laborum
Primitias. Quanto visos terrore refugit
Alcmene geminos angues? at regius infans
Corripit, impavide mirans, et colla prehensu
Sibila collidit. Simul illi dente retorto
Incassùm tendunt morsus infligere, donec
Multiplices tergorum orbes mors frigida laxat.
Illic[6], lætitiâ vultum perfusa decorum,
Suave rubet, Paridis dono Cytherea triumphans;
Hic[7] Bacchi chorus exultans, Fauni, Satyrique,
Pampineisque fremunt impulsæ Thyades hastis.
Quo rapior demens? Num mœstos carmina Manes
Hæc leviora decent? quos nec tellure paternâ
Composuere sui, et dixere novissima verba,
Nec fletu mulceri animas, nec ritibus ullis
Contigit; at fœdo tumulus premit aggere membra!

[5] Pitture Antiche d'Ercolano. [6] Id. [7] Id.

Quippe oculis passim occurrunt per strata domosque
Tristes relliquiæ, servantiaque ossa figuram
Impressam cineri, quales jam morte sub ipsâ
Diriguere homines. Aliis pretiosa supellex
Restat capta, fugæ labor et mora; mordicùs hærent
Compressi exanimes digiti, prædamque retractant.
Jamque alius per tecta amens obsessa ligone
Vult aperire viam. Vani dat signa laboris
Vexatus paries, lapidique impressa cicatrix,
Et positum ante pedes scabrâ rubigine ferrum.
Tantane vos adeò gelidi vis cæca timoris,
Thessalio veluti correptos membra veneno
Perculit, atque fugæ conatibus obstitit ægris?
Aut malesanus amor, et cura extrema Penatum
Prodidit infaustâ nimium dulcedine captos,
Jam jamque hærentes devoto in limine?
———Verum[8]
Non dubiis cladem monstris gravis ira Deorum
Præmonuit.

[8] Dio Cassius, as quoted in the preface to Pitture Antiche d'Ercolano.

———Quoties, seu fœta gementibus Austris,
Seu velut æquoreo tellus percussa tridenti,
Attonitas crebro motu tremefecerat arces?
Nec Calabri intereà prærupto culmine montes
Cessavere sonum, neque saltibus Umbria densis
Horrendùm ingeminare; atque increbrescere ponto
Subter agens tonitru, tremuit quo sedibus imis
Inarime, et Siculo concussæ in littore pinus.
Ipsæ sulphurei sacratum littus Aorni
Effugêre feræ, tanto tonat omne cavernis
Clivosum sonitu nemus, et penetrale Sibyllæ.
Illic et, dubiæ sub opaca silentia Lunæ,
Auditi longos Manes effundere fletus
Per noctem, et tardos ad fata vocare nepotes.
Nec labefacta tamen penitus fiducia cessit,
Donec fulmineas montano erumpere nubes
Vertice conspiciant, atrâ fuligine densas.
Mox[9], velut ingenti glomeratus turbine, in altum
Ire vapor gravidus rapido impete; desuper illic
Pendere, et superas sensim fluitare per auras

[9] Plin. Epist.

Diffusus, longum ducens per nubila tractum.
Cernere erat, qualis cùm cœlum Erymanthia trunco
Pinus adit gracili, et frondoso vertice nutat.
Sulphureus crebrescit odor; tum flamina venti
Composuere leves; vespertinum silet æther
Insolitum, et major monstri se attollit imago.
Continuò fremitusque maris, terræque tumultus
Exoritur, præsaga agitans formidine corda.
Nox ruit, horroremque auget feralibus umbris.
Tum[1] vero rutilâ incepit clarescere flamma
Fumus, et immugire sono crescente Vesevus.
Haud secus ac rediviva cohors si ad bella Gigantum
Surgeret; altisonisque Deûm confligeret armis
Vulsus Athos, Rhodopeque, et jacta Ceraunia cœlo.
Hinc subitò vastâ nova lux fornace refulsit,
Eripuitque oculis visum, tanta emicat atro
Sulphure, et ardenti grando commista favillâ,
Et contorta frequens solido de viscere rupes
Æthereum signat flammis iter; inde ruinam

[1] Kotzebue in his Travels describes this as the evening effect of Vesuvius.

Dat sonitu, et fractis superintonat ædibus ingens,
Aut pelago stridens extinguitur; imbre corusco
Miseni caput aerium, et Prochyta alta relucent,
Et spatia Oceani longinqua.
Ast undique cæcus
Terror agit cives; neque, dum discursibus actos
Præcipitat variis, patitur sperare salutem.
Pars, siqua astiterat convulso in littore cymba
Integra, corripiunt alacres, turbamque sequentem
Vi reprimunt. Ipsos quò post fortuna tulisset
Incertum;—audiri per opacum visa querentûm
Vox moribunda hominum, pelago confusa sonanti.
Plurima jam sese portis effudit apertis
Turba amens glomerata; juvatque extrema videntes,
Communi fato, patuloque sub ætheris axe
Expirâsse animas. Felix, cui dulcia nondum
Pignora, nec trepidans conjux, seniove parentes
Effracti, dubiis extorquent pectora curis!
Sic[2] passim dirâ tenebrarum in nocte per agros
Certatim ruitur; nec fas confidere tædis,

[2] Plin. Epist.

Tam densi cineresque, et creber pumice nimbus
Excutiunt flammam.—Spissas[3] modò dividere umbras,
Et faciem exustam monstrare incendia ruris;
Nunc, rapta ex oculis subito ceu turbine, opaca
Omnia nocte iterum atque altâ caligine volvi.
Adverso multi confligunt pectore, cæcis
Carpere iter tenebris conati, et voce reposcunt
Palantes socios; multos malè prensa fefellit
Dextera, quos subitò turba obruit, aut vorat ingens
Faucibus, et ruptâ sorbet tellure caverna.
[4]Tempore namque illo terram quoque, et ima viarum
Sub pedibus tremere, et raptim fluitare videres
Omne solum, ut sævit ventis stridentibus æquor.
Nec via certa maris, consuetâ aut lege moveri
Fluctus; nunc tumidis incursibus omnia circum
Vastare, informique agros obducere arenâ,
Nunc revoluto in se cursu, et sua regna reverti
Oceanus, longèque trahens secum agmen aquarum,
Abscondisse sinu, atque imis hausisse latebris.
Ergò illi misero sese effudere tumultu

[3] Plin. Epist. [4] Id.

Camporum in spatia; at non seciùs aere magno
Fulgura vibrari, mox et majoribus aucta
Viribus; ut quondam tonitru Jovis omne videtur
Unà ire, erumpique uno per inane fragore.
Tum verò, piceam ut percurrit vivida nubem
Flamma, silent; oculisque ædes et nota requirunt
Culmina nequicquam;—jacet altâ mole sepulta
Urbs; ignesque vident et saxa avulsa volare,
Et toto indomitam cœlo descendere pestem.
At, laturus opem medio qui in gurgite nauta
Vela dabat, dirâ concussus imagine cladis
Obstupuit tacitus, proramque à littore flexit.
Quis lethi genus ignotum, et crudelia possit
Funera, quis magnum fando exæquare dolorem,
Quos non lux, non aura fovet, sed lurida pennis
Nox super incubuit, mortali impervia visu?
Nec priùs occiduo quàm ter lustraverat orbe[5]
Nimbosam Calpen, Sol matutinus ab undis
Icariis mœstam dimovit pallidus umbram;
Ille quidem, obductâ qualis ferrugine bella

[5] Plin. Epist.

Præsignat, morbosque, famemque, aut funera regum.
Heu, ubi nunc fœtu quondam generosa virenti
Arva, et pampineis dulces in collibus umbræ,
Dilectæ Baccho sedes? et splendida luxu
Oppida, regalesque domus? ubi pinguia cultu,
Et pecora, et gelidis felicia pascua rivis,
Baianoque procul spectandæ in littore sylvæ?
Omnia mersa jacent; premit undique vasta favillæ[6]
Planities, sterilique ad Solem pumice candet.
Quid non longa dies, et fors mutabilis ævi
Attulit? Incolumes hanc quæ videre ruinam,
Funditùs evanuere urbes; quin occidit ingens
Roma, virûm genitrix; neque Athenis profuit artis
Antiquum decus, aut Divæ venerabile nomen.
Vos autem, Herculeæ sedes, potiore beatas
Omine, dum Capitoli arcem, fascesque vetustas
Romulidum, stantemque ruat Bellona columnam,
Pressit amica ætas, donec grandæva sepulcro
Eriperet Latii spolia, et melioribus annis
Integros Sophiæ tandem non invida flores

[6] Plin. Epist.

Panderet, antiquis retegens nova regna Camœnis.
Jamque, velut verno tepefactus sole resurgit
Arvorum redivivus honos, quem provida tellus
Obruerat, tutum hybernis sub flatibus Euri,
Sic vos, barbarici intactos sub turbine Martis,
Rumpere claustra dedit; lucisque oblita renasci
Jussit, avita fovens redituræ semina famæ.

J. HUGHES,

1811. E Coll. Oriel.

COLONI AB ANGLIA AD AMERICÆ ORAM MISSI.

Tertia jam rediens vix maturaverat Æstas
Arva Bahamarum pingui redolentia cannâ,
Ex quo Vota[1] cruci quæsito in littore solvit
Sospite Columbus cursu, mundumque repertum
Addidit antiquo, quando explorare Britannus
Occidui fines Pelagi, ignotisque procellis
Trans Atlantæos submittere carbasa fluctus.
  Illum etenim nova res, et opum miranda latentûm
Fama, et sponte vigens sed raræ debita falci
Messis, et antiquæ sylvæ, tum navibus apta

[1] Robertson's History of America, book ii. p. 129.

Flumina, productæque nimìs vasta æquora Terræ
Sparsiùs indigenis habitata, cupidine mirâ
Continuò accendunt ut amœno in littore sedem
Quærat, et inventi partem sibi vindicet orbis.
Ilicet instructam conscendit navita classem
Visendi studio, gaudetque vocantibus Euris
A terrâ abreptos demum solvisse rudentes:
Dumque [2] Sabrina ratem propellens flumine prono
Utrinque effusis crescebat latior undis,
Ille relinquendæ Patriæ veterumque Penatum
Invitus solitum sensim dediscit amorem,
Increpitant animi quoties concepta morantem
Auguria, optatæque occursat sedis imago.
Occiduum, ut perhibent, trananti protinus æquor
Plena revertentes bis Luna resumserat ignes,
Cùm juga cœrulei super æquora surgere ponti
Visa procul, volitant ceu tenuia mane sereno
Vellera per sudum; mox arva nemusque virescens
Cernere erat propiùs, classisque appulsa secundo

[2] In the year 1496 the Cabots sailed from Bristol, and discovered Newfoundland.

Remige quæsitis paulatim allabitur oris.
Ergò cui primùm nostras sensisse carinas
Contigit, advectosque sinu excepisse Britannos,
Insula, testis eris, nec Te ullo deseret ævo
Nomen ab inventâ ductum memorabile terrâ.

Quin cursûs inceptum adeò servare tenorem
Non illis Fortuna dedit; neque tanta secuti
Auspicia, instabant pelagus penetrare carinâ
Ignotum ulteriùs, partisve insidere regnis.
[3] Quippe exardenti lustrare latentia nautæ
Littora, principio malè parci ingloria regis
Segnities, mox Bella alio sub sole gerenda,
Juraque Romanæ detrectans subdola Mitræ
Obstabat Pietas—hinc tot seclusa per annos
Angliaca Hesperio jacuerunt littora ponto.

[4] Quin verò immemori tandem lux inclyta seclo
Additur; atque aperire novi commercia mundi,

[3] The obstacles which at that period prevented the prosecution of British discoveries in America, seem to have been the inactivity and parsimony of Henry VII—Foreign wars—Reformation.

[4] Queen Elizabeth.

Mente movens majora, suoque adjungere regno
Fœmina deductis arva Americana colonis
Constituit, misitque rates, et mœnibus urbem
Clausit, et aggestâ Britonum signa extulit arce.
Quanquam etenim sociâ nondum virtute neque armis
[5] Fraterni potuêre duces, aut nomen Elisæ
Securam positâ præstare in sede salutem;
Ne verò intereà tot iniquâ nocte labores
Nequicquam inceptos premat invidiosa Vetustas:
Quippe quòd illa memor vel nunc ostendere gaudet
Arva viatori, Virgo queis indidit olim
Virginiæ nomen Regina, vetusque colonus
Principium jactat, sacroque tuetur honore.
[6] Nascitur intereà rerum felicior ordo,
Tempore quo largitus opes trans æquor ituris
Hesperium Princeps, duplicisque immunia Chartæ
Jura, quibus terræ ditio concessa colenti
Libera, et unde sibi geminæ primordia quondam
Traxerunt propriis stabilitæ legibus urbes.

[5] Sir Humphrey Gilbert and Sir Walter Raleigh.

[6] James I. granted two charters, under the sanction of which, Virginia was re-established, and New England founded.

Nimirum ante alias famæ notissima gentes
Hinc posuisse suam Nova dicitur Anglia sedem,
[7] Hospitium profugæ pietatis, et, unde bipenni
Quondam decisas avexerat Incola sylvas,
Nunc et arundineis flaventia messibus arva
Miratur, positasque domos, parvumque senatum.
Necnon auspiciis iterum sub talibus arcem
Disjectam, potuitque ædes renovare labantes
Virginia, et dudum desertos navita gaudet
(Ille[8] diu tardum assuetus deflectere cursum
Maurus ubi apricæ prospectat littora[9] Cernes)
Visere devexus breviori tramite portus.
  Salve igitur, gens nostra, adeò fausto omine rursus
Sedibus instaurata tuis—si non fluit auro
Finibus his rutilam volvens Plata dives arenam,
Si non pestifero pallens sub fornice servus

[7] The English Puritans, who had at first taken refuge in Holland, afterwards settled in New England, under the sanction of one of the above charters.

[8] Discovery of the direct passage to America, by Gosnold, in 1602.

[9] Madeira.

Incumbit madidis æternâ nocte fodinis,
Seminaque effossi cogit pretiosa metalli;
At tibi concessit fœcundos ubere campos
Sol propior, tibi pampineo nam palmite colles
Dulce virent; his Morus agris mollesque leguntur
Castaneæ, tibi nec candentes invidet haustus
Rugosâ nuce trita[1] Juglans, et olentia Cedrus
Innexa umbrosâ diffundit brachia pinu:
Quid quos ornat agros proceræ forma Coacæ,
Aut quæsita procul memorem folia arida Pæti;
Quid quo more petens pretiosi munera[2] Vermis
Concussâ auratos Indus legat arbore flores.
Nec tamen has inter sedes feliciaque arva
Perstitit intereà posito Fortuna colono
Inconcussa; modò ignarum Discordia vulgus
Sollicitat, modò neglectis spatiatur in arvis
Ægra fames, sive abstrusi spes vana[3] metalli
Credita nequicquam et fulvæ fallacia lymphæ

[1] A milk pressed from the wall-nut is a favorite beverage among the Indians.—"Purchas his Pilgrimes."

[2] Cochineal.

[3] Robertson's Hist. Posthumous Vol. book ix. p. 189.

Luserit immemorem venturæ messis agrestem,
Sive expectatas vastaverit hostis aristas.
Namque hìc compositis ultro discordibus armis,
Debellare novos communi Marte colonos
Ira olim indigenas erepta ob pascua vindex
Impulit; ergò aderat quæ gens procul accolit agris
Stagnanti latè quà gurgite panditur ingens
Ontarius, seu quà præceps Niagara sonantes
Devolvit fluctus; aderant instructa furentes
Fuste manus, cultroque, et lævi è cortice parmâ,
Agmina, solennem belli instaurantia saltum,
Et ritè inter se concussis dissona telis
Bacchantur, partosque canunt ante arma triumphos.
Dicitur[4] has animorum iras, bellique tumultum,
Quem neque longa dies, neque viribus addita virtus,
Aut pugnæ adjutrix domuit Fortuna, domandi
Dulcis amor docuisse viam, cùm Regia Virgo,
Quam fors dura suis captivam avulserat Indis,
Mutatas conquesta vices, et pulchrior ipsis
Queîs oppressa malis, raptos lugebat honores.

[4] Robertson's Hist. America, Post. Vol. p. 204.

Anglicus hanc juvenis miserans amat, ipsa vicissim
Conceptam agnoscit flammam, et respondit amori.
Ergò bellantes initi flexêre Hymenei,
Infensæque novo sociantur fœdere gentes.
Tempore non alio maria Atlantæa[5] Colonus
Transiit, advertens tibi, Pensylvania, proram.
Non illum Mars sanguineus, non pompa triumphi
Picta supervacui raptos deducit in agros,
Sed placida innocui posuit sine crimine regni
Concessos intra fines fundamina, vitæ
Integer, et morum simplex, habituque severus;
Tum leges et jura dabat, parvâque suorum
Et Pater et Judèx idem regnabat in aulâ.
Hospitis, ut fama est, placidis virtutibus æqui
Indigena adductus, sylvas atque abdita lustra
Deseruit, vacuamque gerens post terga pharetram
Ipsumque et nudos trepidâ cum conjuge natos
Imperio facili lætus submisit, et ultrò
Gestiit excultæ rationem agnoscere vitæ,
Et data jurato sancivit pignora balteo,

[5] The emigration of William Penn.

Ipse fidem firmans, et non violabile fœdus.
Parte aliâ intereà fines auxêre Coloni;
Suadet enim diuturna quies, atque otia rebus
Addita; sic quondam Reginâ Terra-Mariæ,
Sic geminum, Carolina, tibi, Rege auspice, regnum
Crevit, et Eboracum, extremisque Geörgia campis,
Et Nova cultori cessit Jerseia Britanno.
Id verò intereà, quòd parvas Anglicus hospes
Dilectis olim titulis signaverit urbes,
Ne vanum reputa; quoniam sæpe illa tuenti
Mœnia continuò veteris prædulce recursat
Hinc desiderium Patriæ, et divinitùs orta
Mnemosyne solitos animo revocabit amores.
Talis in Epiro quondam capta Hectoris Uxor
Gaudebat simulata fovens nova Pergama veris:
Quippe obversa oculos quoties simulacra lacessunt,
Seu priscam referunt formam, seu nomina rerum,
Implicuit cordi quarum prior usus amorem,
Spectantum toties animus dulcedine quâdam
Illudi, et tacito furtim sub pectore fictis
Gaudet imaginibus, subtilemque arripit umbram.
His adeò auspiciis multos stabilita per annos

Dives opum, geminique tenens commercia mundi,
Creverat abscissis Columbia tutior oris.
Felix! sub patrio firmans tutamine vires,
Si tandem Britonum non immemor esset avorum,
Nec falsâ egisset deceptam nominis umbrâ
Improba libertas materna in viscera ferrum
Vertere, et æternas Naturæ abrumpere leges.
At verò scelerum tantorum exquirere causas
Mens refugit, neque jura velim perpendere belli
Mutua fraterni:—sat erit flevisse diremtam
Sanguine amicitiam et sua regna avulsa Britannis.

HENRICUS LATHAM,

1812. E Coll. Æn. Nat.

ALEXANDER TUMULUM ACHILLIS INVISENS.

Jam puer Emathius Thebarum nigra favilla
Mœnia, Cadmeamque arcem, jam Palladis urbem
Immemorem famæ, pronamque in jussa tyranni
Fregerat; at victas gentes partosque triumphos
Spernit atrox animi, et pacem fastidit inertem.
Europes angusta pati confinia nescit
Mentito soboles Jove non indigna, novumque
Poscit in arma orbem; jam transilit Hellespontum,
Purpureique Asiæ proceres atque agmina regum,
Sceptrigeri quotquot stipant Babylonia Medi
Atria, Grajugenum horrescunt nota arma virorum,
Myrmidonumque graves, fatalia tela, sarissas,
Confertos clypeos, inconcussamque phalangem.

At simul ac Phrygiæ campos, Priameia regna,
Conspicit, et Graiæ late loca conscia famæ,
Gramineosque ducum tumulos, subit undique Achivum
Gloria et adversis bellantia numina in armis,
Et Lacedæmonia sævæ pro conjuge clades.
Omne igitur lustrare juvat, quod mente dolores
Iliacos renovet, Danaumque resuscitet iras.
Spumeus hic Xanthus nemorosa pronus ab Ida,
Non galeas, non scuta virum, sed proruta saxa
Arboreosque rapit violento flumine truncos.
Hic, ubi luxuriat flaventi campus arista,
Laomedonteum fuit Ilion, undique nullæ
Reliquiæ apparent muri, fractæve columnæ,
Oblita non musco viridanti saxa, Pelasgi
Usque adeo miseras Trojæ invidere ruinas.
Rhæteasque procul rupes, tumulumque capacem
Ajacis, vasta elatum super æquora mole,
Cernere erat—sed nulla quies—sed fervidus Heros
Stare loco nescit, flagratque cupidine pugnæ.
Devenit at tandem, Sigeo ubi littore collis
Eminet apricus, quem suaveolentia circum
Serpylla, et viridi cingunt dumeta corona.

Hunc et Abydenus seu mollem navita Lesbon,
Pampineamve Chion, Samiæve altaria Divæ
Invisit, radiante orientis lumine solis
Prospicit ardentem, remoque acclinis, Homeri
Suave aliquod carmen secum meditatur, et hæret,
Ingentem tumulum, et Manes veneratus Achillis.
  Qualis Mæonii divino in carmine vatis
Stat torvus vultu, et cœlestibus horret in armis,
Fulmineosque agitat currus sublimis, et unum
Hectora, per trepidas unum petit Hectora turmas.
Haud aliter cæca Æacides tellure videtur,
Ceu lituo, fremituque armorum excitus amato,
Tollere se, juvenique ingens gratarier umbra.
Hunc videt, et viso gaudet, quin totus inani
Figitur in specie, quamque ipse effinxerat umbram
Esse putat veram, mutoque immobilis ore
Stat Macedo; ast Asiæ fines atque ultimus orbis
Sentit Alexandri requiem, tardataque fata.
  Tum lecti comites instaurant sacra, et odori
Rite coronatis fumant altaribus ignes.
Fervet opus; latices pars vivo e fonte, Lyæo
Immistos roseo, sinceraque flumina lactis

Auratis libant pateris; pars florea circum
Serta, et odoriferos dispergunt veris honores.
Quin et gramineam niveus mactatur ad aram
Taurus, et humectat sacratam sanguine arenam.
At procul Idæo spectat de vertice pompam
Turba Phrygum, mistaque ira et formidine mussat,
Hos novus angit honos et adhuc invisus Achilles.
Atque aliqua in trepida mater stat mœsta caterva,
Andromachen animo reputans, Ithacique cruenta
Astyanacta manu dejectum mœnibus altis,
Dilectumque premit pavefacta ad pectora natum.
Stat virgo, mœstosque fovet sub corde timores,
Ne nova materno direpta Polyxena collo
Placet Achilleos infando sanguine Manes.
At Rex Emathius nodosæ innititur hastæ,
Majestate minax tacita, ceu numine plenus
Fatidico vates, e pectore protinus amens
Excutit ille Deum, pulcher furor occupat ora,
Terror inest oculis, procerior emicat ingens
Forma viri, fluitant agitatæ in casside cristæ.
"Me quoque, me," clamat, "belli post mille lab.
Post fractas urbes, post regna hac proruta dextra

Ultima cantabit tellus; gens nulla silebit
Nomen Alexandri, sobolemque fatebitur Hammon.
Te, magne Æacida, decimus te viderit annus
Iliacas arces et debita Pergama fatis
Oppugnantem armis; me Sol mirabitur ire
Victorem, cursuque suos prævertere currus.
Jam Susa, et præclara auro niveoque elephanto
Ecbatana, et frustra patriorum ope freta Deorum
Persepolis (tristes inhiant ceu nubibus atris
Agricolæ dubii quos fulmine proterat agros
Jupiter) expectant ruiturum in mœnia Martem;
Servitium quibus una salus, quibus ultima et una est
Gloria Alexandri dextra meruisse ruinam.
Adsum ego, jam Babylon æratas pandere portas
Festinat, patiturque superbo flumine pontem
Euphrates, Graiumque minax strepit ungula equorum,
Et Larisseus super ardua mœnia currus;
Quo ferus Hystaspes, quo tramite Cyrus adegit
Quadrijugos, Lydoque equitavit fulgidus auro,
Et non fœmineis animosa Semiramis armis.
Deinde coloratos, qualis Jovis ales, ad Indos,
Et matutinæ rosea incunabula lucis

Deferor, auriferos Macedo bibit impiger amnes.
Atque ubi Pellæis tellus jam deficit armis,
Nec superest nostro gens non indigna triumpho,
Unus Alexander victo dominabitur orbi.

" Jamque procul Martis strepitus, jam pervenit aures
Ferrea vox belli, jam dira ad prælia Medus
Aureus accingit galeam gladiumque coruscat,
Impatiens fati, et Graiæ vim provocat ultro
Cuspidis, ardentique superbit barbarus ostro.
Non æquas, Darie, malo petis omine pugnas!
Ibat ovans ferrum Argolicis flammasque carinis
Insana virtute, ferens Priameius Hector.
Illum ergo Iliacæ rediturum vespere sero
Speravere nurus, Pelidæ cæde madentem,
Atque Agamemnonios agitantem ad Pergama currus.
Speravere diu—crines procul ille venustos
Formosumque caput fœdabat pulvere in atro
Sordidus, Argivisque dabat ludibria nautis.

" Tartareas fauces reserabit et horrida claustra
Rex Erebi, utque meam videat coram invidus hastam,
Myrmidonumque feros referentia bella parentes,
Ad superas ingentem auras emittit Achillem.

Ille mihi pugnas inter fremitumque furoremque
Addit se comitem, et curru famulatur ovanti.
Vidi egomet, nisi vana oculos illusit imago,
Spicula crispantem, atque minaci cassida fronte
Nutantem, quæ luce vagos tremefecit ahena
Priamidas, nigrumque auratis Memnona bigis.
Vidi egomet, neque vana fides, atroque sub Orco
Immortalem animam tangit laus sera nepotum,
Famaque Tartareis sonat haud ingrata sub umbris.
Felix Æacida! tacitas inglorius îsses
Ad sedes Erebi, cæcaque oblivia nocte
Invida pressissent nomen, quod barbarus Istri
Potor, et Herculeis gens si qua admota columnis
Novit, et Æthiopes non æquo sole calentes.
At tibi Mæonides, seu quis Deus, aurea Olympi
Regna procul linquens, cæci senis induit ora,
Et plusquam mortale melos, bellumque, tumultumque
Infremuit, divina tuæ præconia laudis,
Æternamque dedit viridem frondescere famam.
"Et nobis quandoque dabunt hæc ultima dona
Di, quibus Emathium decus et mea gloria curæ.
Exoriare aliquis, nostrum qui nomen, Homerus,

Pellæosque feras ad sæcula sera triumphos;
Exoriare, novus plectro non deerit Achilles."
Hæc fatus, clypeo fremuit, dirosque dedere
Æra sonos, quassisque armis exercitus omnis
Intonuere, simul nemorosa remugiit Ida.
Quos sonitus, Granice, tuum ad fatale fluentum,
Persarumque acies et pictis Medus in armis
Agnovere procul, solio Darius eburno
Exsiluit, fatique pavens præsagia iniqui
Non audituro fundit vota irrita cœlo.

H. H. MILMAN,

1813. E Coll. Æn. Nas.

GERMANICUS CÆSAR VARO
LEGIONIBUSQUE SUPREMA SOLVIT.

Socios inhumataque corpora terræ
Mandemus, qui solus honos Acheronte sub imo est.
VIRG. ÆN. xi. 22.

JAM super ingentem Rhenum, Mænumque subactum,
Amisiæque undas Cæsar victricia signa
Extulerat, jam cæruleâ Germania pube
Audierat Martis strepitus, et nota pavebat
Nomina Drusorum, et repetentem bella Neronem.
Ventum erat ad tristes campos, infestaque Romæ
Arva aquilis, sævam Vari referentia cladem;
Quem nimiùm secura quies oppressit, et atrox
Imperium aspernata togæ, tacitèque refingens

Desuetos enses, subitâ Germania cæde
Obruit, et Divûm læsas mactavit ad aras.
  Illa quidem Romæ cladem testata fuerunt
Apta loca; sterili riguit rubigine campus,
Æternoque situ; nunquam hic laxabat odorum
Ver geniale sinum, aut læti proventibus anni
Purpureus ridebat ager: sine limite tractus
Deserti patuere soli; juxtà horruit ingens
Sylva exesa ævo, et pinûs inamabilis umbra
Æternâ fœdas velavit nocte latebras.
Non avium auditæ voces, pecudumve vagantûm,
Non ipsæ resonare feræ per tristia regna;
Omnia Mortis erant: tremuit formidine miles
Olim acies inter, dubiique pericula belli
Impavidus, metuitque sacros intrare recessus,
Et Divûm violare domos. Per fragmina valli,
Deletamque itur fossam, et prætoria versa,
Disjectasque Deûm sedes, arasque revulsas.
Inter quas galeæ passim sternuntur inanes,
Et clypei, et frustrà squamis ferroque rigentes
Loricæ, fractique enses, exesaque pila,
Et phaleræ quondam gemmis auroque micantes,

Reliquiæ Martis tristes: quin ossa virorum,
Ingentes et equorum artus, albentia campo
Imbribus hybernis, sævæque expos'ta procellæ.
Nec procul ora hominum deformia, membraque truncis
Infixa arboribus, (fuerunt sua cuique tropæa,)
Cernere erat; necnon patriis altaria Divis
Condita, quæ nunquam lætis incensa Sabæi
Thuribus, aut dites Arabum spirantia messes
Grata piis fecere Deis; at fœda cruorem
Stillavere hominum, superos ut tangat iniquæ
Cædis odor, Divusque feris arrideat armis:
Sanguine adhuc veteri, Romanâ et cæde rubebant.
Atque aliquis forsan tantâ vix strage superstes,
Dum mortis signa, et tristes circumspicit agros,
Barbaricas iterum turmas, concussaque tela,
Insanosque pavet strepitus, iterum impia sacra
Horret, et humano respersos sanguine Divos.
Quæque novam referunt cædem loca, quæque cruoris
Fœda notâ, renovatâ animi formidine torpent.
Hìc sylvâ erupere manus; hìc sæviit atrox
Arminius, qualis catulis spoliata leæna,
Terrorem cædemque ferens; hìc signa revulsa;

Hìc petiere fugam; hìc tardatus vulnere Varus
Arsit amans avidusque necis, mortemque negatam
Ipse sibi peperit, Romano et concidit ense.

Hæc memorant, narrantque suis; jamque obtinet unus
Castra dolor, luctûsque oritur miranda cupido.
Tum magni vindicta animi, mistoque dolore
Ira subit mentes; ardent inhumata suorum
Ossa cremare rogis, ardent abolere vetusti
Dedecoris labem, et socias ulciscier umbras.

Tristi ergo accingunt operi, varioque labore
Castra fremunt; pars defunctis commune sepulchrum
Effodiunt, pars arma situ deformia cogunt;
Ast alii passim latis albentia campis
Ossa legunt, cumulantque uno consortia fato
Corpora, præclaros Patres, Equitesque, humilesque
Reliquias spretæ Plebis: discrimina famæ
Abstulerat cunctis, titulosque æquaverat Orcus.

Protinus accedit tumulos exercitus omnis,
Armatus ferro ut quondam, galeâque coruscans
Terrificâ; at posito fastu, Martisque superbi
Incessu, domitoque oculi fulgore minaci,
Vertitur in luctus, et tristia funera ducit.

Non atræ vestes, et splendida compita longo
Ordine flammarum, et conducti pompa doloris,
Fœmineæ planctus turbæ, scissique capilli,
Pectoraque adductis manibus pulsata, tubæque
Ferales cantus, mactataque victima ad aras,
Funera clarabant cæsis, et sacra ferebant.
At tacitus dolor, et compressus mente virorum
Luctus erat; nisi cum gremio suspiria ab imo
Haud indigna sonent, et quas non aspera belli
Exprimerent, torvo stillent de lumine guttæ.
Ipse operi invigilat Cæsar, primusque sacratam
Ossibus infundit terram, vetitique doloris
Munera obit, casus hominum miseratus iniquos,
Instabiles vitæ sortes, incertaque Martis.
Postquam exactus honor cæsis, perfectaque luctûs
Munera, et ingentem circumspicit undique turbam
Obvertentem oculos, atque in sua verba morantem,
Dissimulat mentis curas, et talia fatur:
" Nunc licet, O nimiùm fatis immitibus acti,
" Per Stygias innare lacus, sedesque quietas
" Visere, et æterno ridentes lumine campos.
" Nunc agere humanis nequaquam obnoxia curis
" Otia læta datur, miseræque oblivia cædis

" Ducere, post tantos casus, fraudataque justis
" Funera, et Elysio longos pensare dolores.
" O miseri, queis nec pulchro torpentia leto
" Lumina clausit honor; nec iniquum viribus hostem
" Fortiter obnixos populis exempla futuris
" Tradere erat; Cremeræ quales ad flumina narrant
" Devotam cecidisse domum, vitâque triumphos
" Sanguineos emisse, et nomina nescia mortis.
" At ferus insidiis, inopinoque obruit hostis
" Exitio, nequicquam ergo Vos Tybridis oræ,
" Vos nati, viduæquæ exoptavere maritæ,
" Et trepidum falsâ spe solabantur amorem;
Mors patrios vobis tumulos, et mœsta parentum
" Officia, et sociûm lacrymas invidit amicas,
" Ossa sub externo spargens albentia cœlo.
" Nos igitur queis prima graves fortuna dolores
" Obtulit, indignum queis sit reparabile fatum
" Munera parva licet ferimus, sed milite digna
" Munera; reliquias et humo mandamus amatæ,
" Exiguumque super terræ præbemus honorem.
" Haud tamen his aberit sacræ reverentia mortis
" Exequiis, solitisve carebunt funera donis;
" Inferias claras dabimus; non gemmea poc'la,

" Non vanum cælati auri, argentive nitorem :
" Non segnes tauri, pecudumve ingloria cædes,
" Heroum ingentes possunt gratarier umbras.
" At cæsi spolia hostis, et arma imbuta cruore,
" Spiculaque, et clypei Romæ mora vana furenti,
" Munera erunt; quin ipse suas projectus ad aras
" Sanguine pacabit Manes, et dira cruoris
" Exempla, et veteres morte execrabitur iras.
" Scilicet haud Romæ clades, et dedecus olim
" Abreptasque dolo lauros lætabitur hostis ;
" Ultor adest; jam nunc cæcæ Germania proli
" Præstruit exequias, jam nunc miserabilis uxor
" Arminium subeuntem æquo non omine pugnas
" Intremit, et viduos animo præsentit amores."
Dixerat; et magno miles clamore superbis
Protinus infremuit dictis; positoque dolore
Arma quatit; jam nunc flagranti pectore versans
Perniciem Germane tuam, scelerumque severas
Hostibus exhaustas pœnas, clademque repensam.

GUL. ANDREAS HAMMOND,

1814. Ex Æde Christi.

EUROPÆ PACATORES OXONIAM

INVISENTES.

Jam fragor armorum, bellique resederat ingens
Æstus, et optatâ demùm composta quiete
Latè instaurabat festos Europa triumphos.
Quà densis ferratæ acies modo prælia turmis
Miscuerant, steteratque undanti sanguine campus,
Ver iterum ridebat, et immemor ante-malorum
Exiguosque Lares, et rura fovebat agrestis.
  Interea quanto fremitu resonantia fervent
Littora! quo latè circumstrepit Anglia plausu!
En adsunt lapso digni succurrere sæclo
Heroes—sacro conjuncti fœdere reges!
En adsunt! sed non ultrà fulgentibus armis

Terribiles—non ultrà ignes iræque minaces
Fronte micant—sævi posuerunt fulmina Martis
Victores, placidoque renident lumine vultus!
  Ipse adeo hospitiis, et regno lætus avito
Excipit, ipse viros secum per singula ducit,
Quem patrii hæredem solii, patriumque gerentem
Imperium, fido Britones veneramur amore.
Mirantur genus indomitum—mirantur, acerbi
Post casus belli varios, exhaustaque fata,
Usque novas depromere opes, nova surgere in ausa
Altius, et mediis securum exstare ruinis.
Undique vis ingens populi viget—undique læta
Oppida, et uberibus flaventia messibus arva.
  Quin sanctas jamdudum ardent invisere sedes
Oxoniæ, et placidos sophiæ lustrare recessus,
Quà Phœbus, certasque domos posuere Camœnæ
Jampridem, Pallasque novas miratur Athenas!
Huc reges—huc turba ducum, queîs nuper in armis
Æternum meruisse decus dedit inclyta virtus,
Densa coit. Stupet innumeras procul advena cernens
Turresque, et delubra Dei, quæ plurima circùm
Sylva comis collesque premunt, dum limpida proptèr

Quærit iter taciturnum Isis, nemora inter opaca,
Umbrososque toros riparum, et amœna vireta.
  Audiit exultans, studioque accensa fideli,
Hospitium, lætosque parat Rhedycina triumphos.
Pars sacra festinant innectere templa coronis—
Pars cœtu cinxere vias—Nos, turba togata,
Arrectis inhiare animis—spe pectora cernas
Fervere solicitâ, et trepidare micantia corda.
  Jamque urbem intrârunt Heroes, et ordine longo
Incedunt—Quis flore novo redolentia primus
Sparget humi serta, O comites? Quis carmine ovanti
Excipiet primus, festosque indicet honores?
Illustres salvete viri, quorum ultima terræ
Littora, quot liquido ætherius sol lumine lustrat,
Quot latè Oceanus circumvagus alluit undis,
Laudibus ingeminant! Ausus ne spernite nostros,
Nec tacitos pigeat Musarum adiisse penates!
Hæc loca non rauco strepitu tremuere tubarum
Excita, non sævo concurrere marte phalangas,
Nec vidêre sacros violari sanguine rivos.
Exulat hinc omnis belli furor—exulat amens
Ambitio, et discordis inania murmura vulgi.

Hìc vitrei fontes, mollique sedilia musco,
Vati grata quies—hìc rura tumentia clivis
Mollibus, et placidi circum indulgentia veris—
Templa Dei, sanctæque domus—hìc integra semper
Relligio, variasque artes edocta juventus.
Hos intrate Lares! Hæc, qualiacumque, benigno
Hæc juvet accepisse animo munuscula amoris!
Jamque inter plausus medios, turbamque frequentem,
Corripuere viam—Comitum via fluctuat undâ,
Et latè insolito resonant clamore recessus.
Aspicis, ut tacitâ antiquas dulcedine moles
Suspiciant, quæ ritè olim sacraria Phœbo
Surgere majores, et quæ, pietate fideli,
Sancta magis summo voluerunt templa Jehovæ!
Quà manibus cœlata altè laquearia fulgent
Artificis, vitrumque micantia tela diei
Temperat, et circùm loca mille coloribus ornat.
Cuncta placent—seu prata salubribus humida rivis,
Arboribusque obtecta adeunt, sive atria lustrant
Umbrosasque domos, ubi prima ad lumina solis
Impiger invigilat juvenis, dum frigida cœlo
Pallet adhuc Aurora, neque atras dispulit umbras—

Tantus amor laudis—Misso tamen ille labore
Jam penitus vacat, et totum se in gaudia solvit.
  Quid lætis instructa canam convivia mensis?
Quid pompas? noctemque novo splendore fugatam?
Scilicet aeriæ turres, et tecta domorum
Igne micant, cœlique tremunt per cærula flammæ.
Has aliquis, placidi dum Thamesis æquora verrit,
Nocte super mediâ, cursusque dat aura secundos,
Hausit, inexpletùm aspiciens; atque inscius ignem
Fulgere agris stupet insolitum, tremulisque micantem
Lambere aquam radiis, viridesque ad flumina sylvas.
  Sol oritur—solis rutilâ juga luce retecta
Suavè rubent, roseumque jubar bibit Isidis unda.
Nec jam finis adest—quin pompæ major imago
Surgit, et inceptos Rhedycina instaurat honores.
Alta ædes urbe in mediâ est, quam plurima Musæ
Cura fovet, multoque sacravit numine Phœbus.
Hùc clari coiere duces—hìc, agmine longo
Congressi, cœtu juvenes tectum omne coronant;
Intentique inhiant, gaudentque, ante ora tuentes
Vestigare virûm facies, quorum impius armis
Terga dedit, sæcli scelus exitiale, tyrannus,

Procubuitque tremens, raptoque exutus honore.
Jamque adeo, optato tacitè dum lumina visu
Pascimus, arrectæque hærent in imagine mentes,
Præteritas revocare vices, exhaustaque belli
Fata juvat. Nunc altè ultricibus obruta flammis
Moscua—nunc rigidæ campi apparere Viasmæ—
Excubiæ tristes, pavidæque insomnia noctis,
Et ripæ, Beresina, tuæ. Jam Lipsia Galli
Disjectas testata aquilas, profugumque tyrannum;
Jam subit, hostili quæ plurima sanguine fluxit,
Sala, cruentato passim sub gurgite torquens
Quadrupedesque, virosque, et Martis inania tela.
At neque tantùm animos belli ferventis imago
Interea, aut miserâ quæsiti cæde triumphi,
Quam pia victoris magni clementia tangit.
Quin meminisse juvat qui te, Lutetia, casus,
Pallentemque metu, et vicinâ clade trementem,
Excipere hostiles alta intra mœnia turmas
Egerit, externisque tuos submittere cives
Imperiis. Illi nunc se carosque penates
Ense timent, flammisque, et totam funditus urbem
Succidere—infandæ tandem spolia ampla reposci

Militiæ, regum gazas, et dædala signa.
Haud tamen aut dominis mansuescere nescia corda
Sensisti, aut quæ lege pari sua damna rependant;
At tibi quæ sociam, ferro pro vindice, dextram;
Pro vinclis, tibi legum ultro, fideique verendæ
Imperium obtulerint, et mitia regna tuorum.
  Ast ipsi, mediâ tecti testudine, reges
Conspectuque sedent medio, quos undique cingunt
Heroes, sanctique patres—tum læta juventus
Ingeminant plausus, Musasque in vota vocantes
Facta virûm, reducemque canunt fausto omine pacem.
  Cernis, ut aspectu regali, ac simplice cultu
Eminet; ut facilem gratis se plausibus offert
Clarus Alexiades! placidæ quæ gratia fronti
Luminibusque nitet, puri certissimus index
Pectoris, et communem ultro sibi poscit amorem!
  Tu vero, Frederice, hilari licèt omnia vultu
Aspicere, atque animo præsens videare benigno
Nil dedignari nostræ solennia pompæ,
Tu tamen ingentem fido sub pectore curam
Usque foves, seu te clades, et fata tuorum,
Victorisque minæ, et spoliati injuria regni,

Seu memorem abreptæ virtus, et forma maritæ
Torqueat, et tacito pertentet pectora luctu!
Nec tamen hospitibus solis sua præmia laudis
Oxonia, et meritos ultro largitur honores;
Te quoque, grande decus Britonum! te sede locamus
Conspicuâ, colimusque omnes; quo principe tantùm
Imperium, patriæque ingens se gloria tollit,
Sive infesta magis juvat arma inferre superbis
Gentibus, et veteres in sceptra reponere reges,
Seu toties vexatum odiis crudelibus orbem
Concordi sociare novæ sub fœdere pacis.
Tuque adeo, si quando iterum fera regnet Erinnys,
Si quando ancipitis poscant discrimina pugnæ,
Non aberis Britonasque tuos sociosque tueri,
Consiliisque armisque potens. Sic candida demum
Astræa, et, multis rerum turbata procellis,
Sancta fides longùm pacato arrideat orbi!
Hæc saltem, hæc nostræ dudum vovere Camœnæ—
Hæc liceat vovisse! heu quanto sparsa cruore
Templa Dei, quantâ spumantia flumina cæde
Vidimus! heu quoties latè glomerantia cernens
Agmina, et accipiens hostilis murmura turmæ,

Rura amens patria, et congestum cespite culmen
Aufugit, gravidasque miser respexit aristas.
Cum gemitu agrestis, lacrymasque effudit inanes!
Nunc tandem, modò fata sinant, nunc lætior ordo
Incipit, atque novâ ridet dulcedine sæclum.
Atqui utinam pater ille, (ægrâ qui sorte senectam
In tenebris, luctuque trahit, nec vota suorum,
Nec desiderium, neque fidos sentit amores;)
Ille tui, patriæque pater, non solus abesset!
Hoc nempe hospitibus—nobis hoc defuit unum.
Hæc una—hæc penitus mentem contristat imago!
Jamque iterum effusâ miscentur compita turbâ—
Jamque parant sacras Rhedycinæ linquere sedes
Heroes, lustrantque supremo limina visu.
Ergo illos gratis etiamnum vocibus ultro
Prosequimur, votisque piis comitamur euntes:
" Ite, O illustres animæ, quo publica mundi
" Commoda, quo virtus, majoraque fata vocarint!
" Ite! Sed hæc (utcunque olim rerum exeat ordo)
" Forsitan, et nostros meminisse juvabit amores!
" Tuque, decus regni eximium! tu mœnia Princeps
" Hæc tua, quæ patrii coluere ab origine reges,

" Sæpius invises; hìc gaudia ritè tuorum
" Accipies, Musisque vacans paulisper amicis,
" Imperii solitos obliviscere labores!
" Te penitus Rhedycina colit—te Musa patronum
" Grata canit, meritâque innectit tempora lauro!"

ALEXANDER MACDONNELL,

1815. ÆDIS CHRISTI ALUMNUS.

DRUIDÆ.

Gravi sub relligione,
Quæ caput a cœli regionibus ostendebat,
Horribili super aspectu mortalibus instans.

LUCRET.

Βαιὰ δ' ἐν μακροῖσι ποικίλλειν, ἀκοὰ Σοφοῖς.

PINDAR.

AVIA silvarum peragro, rerumque silentes
Relligione umbras, ubi Patris numen adorat
Ipsa adytis natura suis; vel sicubi lucum
Grandia ramosis referunt delubra columnis,
Obscurantque diem: juvat hic caligine mersas
Pandere res patriæ, primævaque sacra, Deosque,

Et Superum Druidas Infernorumque ministros.
Illi inter densos antique robore lucos,
Victricesque ævi quercus, arcana movebant
Orgia securi: late circumdatus horror
Defendit, primoque in limine densior umbra,
Qua patet obducta, et frustra se condit Erinnys.
Ipsum ingens nemus, et sonitu penetrabile nullo,
Alte subductis adytis; nisi cum gravis aura
Frondibus incubuit; seu, tempestate coorta,
Nimborum impendet moles tenebrosa superne,
Silvaque densato contra nigrore minatur;
Quam fragor irrumpens, et fulmina rauca sine ictu
Pervolitant, mugitque solum, resonantque cavernæ.
Plurima in immensum jactabat libera ramos
Arbor, et absumpti solido stetit augmine sæcli;
Plurima in ætherios tollebat nuda recessus
Brachia, sed viridem gestabat fronte coronam;
Stipitibus solis aliæ, veneranda senecta
Corpora, corticibusque cavis; ceu funus, et ingens
Matris naturæ stiparent mœsta sepulchrum.
At nemore in medio, nudoque sub ætheris axe,
Ara ingens stabat; quam circum grandia in orbem

Saxa procul triplici surgebant ordine, vastas
More columnarum portentia vertice rupes :
Dira loci facies, et nulli visa profano,
Nota metu tamen, et fama celebrata sinistra ;
Tum sciat, ancipiti si quis formidine molem,
Nunc quoque cum ventos et aperti verbera cœli
Immensique ævi magnum et penetrabile vulnus
Pertulerit, solis dominantem spectet in arvis.
Hic Druidæ soliti, medio cum limite cœli
Despiceret sol almus agros, aut culmine summo
Jam currus inhibens nox intempesta sileret,
Versari secum attoniti ; Divisque vocatis,
Solvere magnifico sublimia corda pavore.
Magnamini frustra ! miseri, quibus horrida fastu
Pectora Divinus placido diffundere tactu
Non dignatur Amor ; nec cœli mitia norunt
Fœdera, clementemque Deum ; tantum ignea nigris
Fulmina cum nimbis, irasque Ultoris adorant.
Horribiles ergo ritus, et nomina sæva
Instituere Deum ; tenebrarum orcique potentem
Teutaten, auctorem hominum, quique arma virosque
Hesus falcifero pervectus turbine frangit,

Hæc solos inter lucos generosa juventus
Accipit, et multum tacito sub pectore versat:
Vulgo ferre nefas; foliis nec carmina mandant,
Nec tabulis inhiant, descriptisque arte figuris;
At, suspensi oculis, venerandi verba magistri
Observant, animisque imis audita reponunt:
Et quidam noctes meditando sæpe serenas
Pervigilat, viridique instrata cubilia fronde
Mane novo linquens, acris dulcedine curæ
Instinctus, lento premit uvida gramina passu.
Præmia nec laudi levia aut ludicra petuntur;
Nam cum terrenos sua mors dissolverit artus,
Vulgares credunt animas, et honore carentes,
Mortales iterum formas miseramque subire
Incassum fortunam, omnesque revolvere casus;
Sed qui Divorum sedes periere tuendo,
Quique sacerdotes casti, sensuque vigentes
Ætherio vates, alto succedere cœlo
Protinus, atque novo vestigia ponere mundo,
Mens ubi corporeis exultet libera vinclis,
Igneaque afflatu pascatur simplicis auræ,
Non senio, rerum non extinguenda ruina.

Nec minor in terris Druidum se gloria tollit
Sanctaque majestas; quorum olim fervida nutu
Pugna furit, rursusque trucis turbata residunt
Corda globi, virgamque agnoscunt tela sequestram.
Sin præcepta sequi quisquam aut parere recuset,
Non vanis agitur diris, orcoque dicatur
Triste caput, dextramque negant contingere fratres:
Solus abit, curisque terens atrocia corda,
Robora dissolvit mentis, discitque timere;
Limososque lacus latebris et lustra ferarum
Quærit, et humanam demens amittere formam
Sperat, si qua via est; Divosque invisus adorat,
Ne fera concordem spernant armenta sodalem.
Sic Druidæ populo, sic ipsis vincla tyrannis
Conflavere minis et relligione tremenda,
Scilicet extremos jam duratura per annos,
Ni scelerati hostes et vis Romana refringat:
Nec laudes, Paulline, tuas, tumidive triumphum
Cæsaris ille dies, sed ineluctabile fatum,
Consilio æterno, mutataque sæcla ferebat.
Ventum erat ad fluctus, extremoque limina Monæ,
Spemque Britannorum solam columenque relictum;

Namque hic Pontificis magni sanctissima sedes,
Hic Druidum collecta domus: stat littore primo
Densa acies, pugnamque animis telisque lacessit;
Urget amor patriæ, et tanto in discrimine virtus
Altior insurgens, et præsens fama Deorum:
At sua vis hostem, et clypei fiducia lati,
Proque Deis Aquilæ, et ductoris numina firmant.
Continuo fluctus vis fervida rumpit equorum,
Lemborumque ordo densis allabitur armis,
Et Romana sacram violant vestigia terram:
Tum vero Druidæ palmas ad sidera jactant
Effræni, tardosque agitant in prælia Divos;
Fœmineumque agmen, ferali veste, solutis
Crinibus irrumpit, flammasque per aera vibrat
Diris ardentes, trepido terrore coruscas:
Subsistit, retrahitque pedem formidine miles,
Cocytique sinus atque irremeabilis undæ
Jam metuit transisse fretum, mortisque per umbram
Eumenidum formas Rhadamanthique aspicere ora;
Sed ducis hortatu, rapidaque accenditur ira;
Nec mora longa quidem, valida quin vulnera dextra
Spargat ovans, stragisque insultet victor acervo.

At Druidæ, captam patriam, atque aversa videntes
Numina, et effractis medium in penetralibus hostem,
Fata decora petunt, indignatique sacratos
Conscendere rogos; dominorum flamma per artus
Volvitur, et sanctum bibit indefessa cruorem,
Et dira æternum cum relligione quievit.

WALTER HENRY BURTON,

1816. COLL. EX.

REGNUM PERSICUM A CYRO FUNDATUM.

" Expectata diu, Assyriis stabilita ruinis
" Persia—jam tandem imperio donanda secundo—
" Surge, age! majorum in tenebris exordia rerum
" Ne remanete! satìs jampridem elata suorum
" Majestate tumet Babylon—satìs ebria luxu
" Sceptra per Eoas movit victricia terras.
" Tuque adeò, o sanctum et semper memorabile nomen,
" Rumpe moras! tu, qui vitæ cùm lumina nôris,
" Cyrus eris—cedent gentes, undæque recumbent
" Auspice te, cœlumque tuo lætabitur ævo.
" Tu fausto augurio et præsenti Numine inibis
" Grande ministerium; et largos habitura triumphos
" Bella gerens, mœstum oblectabis cive reverso
" Jordanem, et lapsos Solymæ reparabis honores,

"Pacatumque reges propriis virtutibus orbem."
Sic plenus propiore Deo præsagia fudit
Non injussa pius divino e pectore vates.
Intereà multos stabat dominata per annos
Assyria, et solitæ propter confinia ripæ
Volvebat tutas Euphrates integer undas.
Languebat Persarum ignota, neque urbibus altis
Gens florebat adhuc, nec magnâ extabat opum vi.
Ingratus Baccho, bibulâ malè siccus arenâ
Autumnos steriles jejunâ messe juvabat
Campus iners; tristis per Cissia rura colonus,
Multa gemens ignominiam duplicesque catenas,
Passibus errabat lentis, imoque furores
Corde premens tacitos et libertatis amorem,
Nunc casus ad vastum indignabatur Araxem,
Miscebat nunc longa suo suspiria ponto
Nequicquam—Superas quis enim sublimis ad auras
Ante aderit, quàm fata sinant? quis numine gentes
Invito reget, et magno dominabitur orbi?
At tandem ruptis exultans, Persia, vinclis
Exoriare—tuos tibi enim dant fata triumphos.
Aspice ut ambrosio perfusus flore juventæ,

Ille, salus patriæ, sæcli melioris origo,
Ille suo dudùm signatus nomine, surgit
Ante oculos—non qualis ubi aerios Saspiros,
Et cœli tempestates faucesque ferarum
Vix, si vera fides, vitæ jam in limine fugit—
At formæ decore egregio spectandus, et inter
Æquales mirâ oblectans virtute parentes.

Nec me adeò fallit, Cyri primordia magnum
Quàm sit scrutari—longo seu Marte subactis
Medorum agminibus, terræ populique potitus
Gestavit multo madefactam sanguine laurum;
Seu rerum sponte Astyages dejecit habenas,
Miscueruntque ambæ mores et nomina gentes.

Esto—at Musa volat, Cyrus quà fulminat inter
Armenios bello fines, et fertur ad altum
Bosphoron, et Scythiæ curvantem littora Pontum,
Thurilegasque Arabum gentes, atque Indica regna,
Et sibi subjectos Solis circumspicit ortus.

Nec requies—belli major se tollit imago
Hesperias inter gentes—in prœlia Crœsum
Imperii spes vana movet—movet addita Phœbo
Vana fides; validosque effundit Lydia natos,

Lydia magna viris, Hermi ditata metallis.
Ergo etiam varia in longis fluitantia ripis
Signa videt fatalis Halys—Graiosque Phrygasque,
Paphlagonas, Carasque simul, Babyloniaque arma,
Quæque papyriferum liquerunt agmina Nilum.
Nec minus et variæ Cyri de parte cohortes,
Falciferi currus, et equis horrenda camelus.
Hæc vulgata tamen—cui non suspiria leti
Nota satìs, dubiæque ferox insania pugnæ,
Et Thymbræ funesta dies—Crœsusque requirens
Ægypti auxilium Lacedæmoniasque phalangas?
Heu! quid venturus verno sub sidere miles
Proderit? intereà Sardes cecidere, et inanis
Gloria Achæmeniis cessit spoliata tropæis,
Lydiaque æternam senserunt sæcula noctem.
His itaque exactis laurum comitatur olivæ
Dulcis honos, additque suos pax alma triumphos.
  Atque ideò paucis Persarum ritè docebo
Officia—et quæ sint leges et fœdera genti;
Veri quantus amor, veterum quæ cura parentum.
  Ergo ubi sextus adest pueris crescentibus annus,
Maternæ cessant operæ; et jam publica poscit

Persarum sibi res prolem, discitque juventus
Ferre eadem studia, et communi accumbere mensæ.
Mox validâ vi membrorum luctantur arenâ
Inter sese alacres, spumantiaque ora coërcent
Bellatoris equi, et longos dant ordine gyros
Nisæo in campo, rapidive ad flumina Araxis.
Jam certam emittunt nervo stridente sagittam;
Jamque volutabris pulsos sylvestribus apros
Latratu catulorum agitant, jaculisque leones,
Atque gravem in dumis discunt proludere Martem.
Ergo sese effert miles robustus in armis,
Lethali insignis ferro Eöâque tiarâ,
Persa—leves dat terra dapes, dant pocula fontes,
Et suffecit humus strato super arma cubile.
Ah! nimiùm felix! si nunquam Persia Cyri
Mutârat mores—nec luxûs ultima pestis
Dira per incautum dederat contagia vulgus.
Non Salaminiacam Xerxi mare tanta tulisset
Funera—non tantam Dario Arbela ruinam.
Quid memorem ritus Persarum et sancta Magorum
Munera, quæ seri servant hùc usque nepotes?
Illis non vanæ surgunt ad sidera moles—

Non delubra, nec effigies simulacra Deorum:
Non spirat Panchæus odor; non exta sacerdos
Thuricremas propter fumantia consulit aras,
Nec moritura piis circumdatur hostia vittis.
Scilicet et dubiâ quamvis radiantia flammâ,
Sed tamen antiquæ vestigia sera putandum est
Lucis adhuc superesse, suo quæ lumine gentes
Immersas quondam tenebris et nocte profundâ
Eruerat, verique sacros diffuderat ortus.
Ergo unum perhibent æterno numine Divum
Vivere in immenso spatio, terramque polumque
Materie complere suâ—nam cærula cœli
Limina, et igniferis stellantem lucibus axem
Esse Deum—colle idcircò aut in valle remotâ
Genua dedere solo, et supera ad convexa precantes
Extendunt palmas, et rerum elementa, supremi
Signa Dei, effigiem divinæ Mentis adorant.
Legibus his adeò magni solennia Mithræ
Instituunt sacra, et flammai simplicis ignem.

Quod superest, belli finem summosque labores,
Cyrus ubi Ecbatanis iterum movet arma relictis,
Expediam—juvat usque adeò conanima longùm

Irrita, et elatam turritis mœnibus urbem
Dicere, et Assyriæ tumulo superaddere carmen.
  Grata soporiferas terris nox fuderat alas,
At nullam in Babylone dabat turbata quietem.
Nam cives inter sese convivia læti
Instaurant—Syrio fervent carchesia vino.
Luna quoque, et placido splendebant æthere flammæ
Noctivagæ, et muros, et in aeris intervallo
Suspensos luce almâ hortos, et culmina Beli
Ornabant.—Cur non Euphratem argentea lampas
Irradiat? Cur non sub flumine saltat imago?
Ille ruit longè aversâ illætabilis undâ,
Quà Cyrus multo tandem sudore coegit
Trans riparum herbas invito tramite labi,
Mutatumque novis errare canalibus amnem.
Jam latet antiquo miles peregrinus in alveo;
Et Lunæ tremulam horrendo fulgore figuram
Arma repercutiunt promptis vibrata lacertis.
Mox adeò erumpunt acies, et funera latè
Spargunt jussa Deo, et totâ dominantur in urbe.
Quin penetrant aulas etiam, mensasque superbas
Regis, ubi luxu immersus vinoque recumbit

Immemor, et demens titubanti non sua dextrâ
Pocla tenet—neque enim cœli sublime cavebat
Augurium, trepidosque inter convivia visus,
Portentique minas tantas, vocemque Prophetæ,
Signaque divinæ regali in pariete dextræ.
In scelerum genus omne ruit—nova crimina demens
Instruit, inque novos iterum se destinat ausus.
Sed cadit ante diem—et divino numine victus
Ipse suo moriens fœdat palatia tabo,
Et jacet informis non uno vulnere truncus.
Sic tibi fatorum finis, sic exitus omni
Imperio, Babylon! spatio sic occidit horæ
Assyriæ decus, æternique superbia regni—
Ceu flos matutinus abit, ceu vesperis umbra.
Hæc verò tibi, Cyre, quies, hæc meta labori—
Ac multarum amnis tumefactus pondere aquarum,
Seu rapidus Ganges, seu flavis Hister arenis,
Sic tua majestas crevit—tibi Medica regna
Ruraque Lydorum, et captâ Babylone potestas
Additur Assyriæ—tantis tibi cladibus orta
Imperii moles magnum complectitur orbem.
Ergo Phantasiæ ductus dulcedine siquis

Percurrat florentem Asiam, linguasque coloresque
Observet vultûs varios, vel flumina latè
Scrutetur diversa locis—unum usque videbit
Nimirùm imperium, et Cyri sine limite regnum.
Quin tellus Judæa, Palæstinæque refulget
Et Solymæ redivivus honos—nam vincula Cyrus
Dimovet, et populum in natalia rura remittit.
I, repete antiquos, inquit, gens læta, Penates,
Et patriæ fines et dulcia limina terræ.
I, dilecta iterum proprii penetralia Divi
Ædifica—vicina suas dent littora gazas,
Et sacram decorent Hebræi Numinis aram.
Ergo omnes proprias sedes, et flumina nota
Jordanis visunt; gaudentque in margine molli
Rursus Idumæâ palmæ recubare sub umbrâ.
Ergo etiam Solymæ muros, templique decores
Continuò instaurant; veterisque argentea fani
Pocla nitent, sectæque trabes, Tyriique tapetes,
Et desumpta frequens Libani de collibus arbos.
Aspice, ut extructam molem secura juventus
Laudet, et auratas æstivo Sole columnas.

At longæva memor transacti temporis ætas
Hinc, eheu! causam lacrymis longoque dolori
Invenit—heu! Solomonis adhuc templique prioris
Ante oculos plus quam prisco fulgore resurgens
Gloria inexpletos ciet inter gaudia luctus.
Sic mater materno aspectat amore secundam
Progeniem—at medios inter dulcedinis ortus
Serpit amari aliquid, lacrymisque humectat obortis
Lumina—nam desiderium insolabile surgit
Ereptæ e gremio prolis, quam fata tulerunt
Aspera—nam meminit, quanto fuit ille decore
Frontis, et in molli lusit quæ gratia vultu.
  Jamque adeò positis belli oblivisceris armis,
Et sub pace geris tranquillam, Cyre, quietem,
Orbe triumphato, victorque sine hoste videris.
Quin tecum venit alma salus, et copia rerum
Ridens, indigeti et messis spes certa colono.
Ergo vix Asiæ vult felicissima tellus
Detrectare jugum; at securo pectore sortem
Ferre juvat, Cyrique placet ditione teneri.
Nempe iisdem varias curis et fœdere eodem

Ille fovet gentes—illum admirantur, et una
Observant pietate omnes, studioque fideli
Condecorant, unoque vocant cognomine Patrem.

J. S. BOONE,

1817. Ex Æd. Christi.

TITUS HIEROSOLYMAM EXPUGNANS.

" Incestata diu sacrorum sanguine Vatum,
" Teque tuosque, Salem, quoties, ni aversa fuisses,
" Fovissem gremio blandæ genetricis ad instar!
" Felix, nunc etiam felix, tua si bona nôris
" Dum licet——At venit illa dies, quando aggere muros
" Obsidet miles, metuendisque obruet armis,
" Exæquans una late loca vasta ruina:
" Tanti erit oblatam toties renuisse Salutem!"
Denique fatali decurso tramite sæcli
Ecquis adest Cœli Vindex? quis debitus Ultor?
Aspice, nigrescens Tempestas turbida ab oris
Ingruit Hesperiæ, et campos densa occupat umbra

Turmarum obductos nebula, nisi Martia raptim
Quà rutilat seges, atque ærata luce coruscat.
  Surge, age, devotis habitas qui in sedibus, Hospes,
Nunc fuge—Nunc meritam propera prævertere cladem :
Et tu venturis Patriæ non debite Fatis,
Quisquis es, o Christi temerato numine tactas
Linque Domos, et te labentibus eripe Regnis !
  Conscia (nonne vides ?) tantam Natura ruinam
Agnovit, versique dedit præsagia Fati :
Tempore non alio minitari visa sub auras
Arma, et flammigeri currus volitare, futurum
Miscentes Martem, et fatalia bella cientes :
Quin miro splendore ipsi rutilare cacumen
Delubro, circumque innoxia fulgura pasci :
Tum magnam audiri per sacra silentia vocem—
Excessisse Deum, et sedes odisse nefandas.
  Sed tibi quid, Solyma, augurium ? Quæ vana precaris
Non audituro fundens vota irrita Cœlo,
Ut tandem belli propius propiusque tumultum
Accipis Italici—Jam despicis arce sub ipsa
Victrices Aquilas, dominæque insignia Romæ ?
Illæ corripuere viam, et late omnia complent :

Dum miles patriam recolens, et rura relicta
(Quamvis illa quidem flavis uberrima campis)
Insuetas miratur opes, et munera Cœli
Oblata arripiens sacris spatiatur in agris:
Fatalemque parat non nullo numine pugnam.
  Sublimis facies Urbi: munimine vasto
Præsidium, et triplicis firmant discrimina muri:
Prærupto hinc illinc scopulosus vertice collis
Invictum ostentans claustrum, et proclivia saxa,
Excipit amplexu curvo, atque immanis ad auras
Immensumque patens stat congesto augmine sæcli.
  Ast molem exsuperans tantam, majorque periclis,
Undique fervet atrox acies, si mœnia possit
Circuitu ingenti, et producto obsidere vallo.—
  Intus cur cessat Mavors?—Cur candida pugnam
Libertas, renuis? domini ne impunè catenam,
Et cladem instantem patriæ patieris inultæ?
Omine victa malo, tristique oppressa Veterno,
Pectora torpescunt: temerati conscia Juris
Rupta Fides sacrâ trepidat formidine ad Aram,
Præsumitque metu pœnas: Hos lurida Pestis,
Hos angit miseranda Fames: nec gratia formæ

Vivida, nec fervens juvenili in Corpore sanguis
Profuit: intereunt pariter puerique puellæque,
Et flentes properâ natorum morte parentes:
Atqui se teneris olim fors voverat annis
Plurimus ultorem patriæ; dextramque sacrârat
Fracturam Hesperias, dederint modò fata, catenas:
Incassùm!—assuetas rodunt jejunia vires,
Religioque animos nigranti prægravat umbrâ.
Ipsa adeò—nec vana fides—ipsa anxia Mater
Dum nati invigilat cunis, corpusve tenellum
Sustinet amplexu—tantum suadere furoris
Possit tetra Fames—artus proh! dente feroci
Cognatos vorat, et rabido bibit ore cruorem.
Nec minus interea gressus in limina Templi
Morte vel extrema ducunt: hoc frigidus unum
Spiritus, hoc unum languescens lingua vocare.
Sive illinc stet certum animo sperare salutem,
Seu dulce occurrat coram deponere vitas;
Numen ubi, dum tempus erat, melioribus annis,
Et fati arrisit Spes, Auguriumque prioris.
Nec deerant tamen, insano quos Gloria fastu,
Occasu in rerum tanto, suaderet honores

Vel tum præripere, et patriæ pereuntis habenas:
Inde graves causæ irarum, scelerumque Rapina
Contemtrix, versosque agitans Discordia cives:
Inde erat infandam Rabiem, cognataque Bella
Aspicere, et cæsum fraterno vulnere fratrem,
Et dirâ infectos dominorum cæde Penates.

O Terra ante alias Cœlo defensa benigno
Cui quondam festiva dies sine nube refulsit,
Tu, Regina Sion—Solymæ Vos dulcia Regna—
Non posthâc patriam, quæ longùm muta pependit,
Non dabitur revocare lyram, atque in margine noto
Isacidum cantu seros deducere soles!

Heu! quianam in fatum gens o devota ruinæ
Erigeris, sortique ultra obluctaris iniquæ?
Ecce! iterum oppositi resonant crebro ariete postes,
Et propior gravido consurgit vinea dorso.
At, viden? Ut fervent acies, reboantque ruentûm
Certatim fremitus, et vox insana triumphi!
Mox adeò vallique et propugnacula muri
Dant stragem, accipiuntque hostem prostrata furentem.

Ventum est ad solidas turrito pondere moles
Antonî—spem jam solam, columenque relictum:

Quas tamen obductâ armorum cinxere coronâ
Ultro alacres, Martisque extrema pericula poscunt.
  Has contra exsurgit rapido penetrabilis ictu,
Et vastas vasto incumbit super impete turres
Machina terrificùm illidens: illæ usque minantur
Suspensæ, quassæque labant per culmina pinnæ.
Nec mora, nec requies. At, perrupto objice, Victor
Ultricem vibrat dextram, quà prima recludit
Monstravitque viam, cædes, et vulnera miscet
Jussa Deo: latè Abramidæ per nota locorum
(Necquicquam nota) effusi vix denique sacrum
Cum fremitu superant, heu! non remeabile, limen.
  Cui non pervenit tanti, dum fata fuerunt,
Majestas Templi, et positæ Cœlo Auspice moles?
Olli ampla effulget species, medioque superbit
Vasta situ, et latè subjectam despicit urbem:
Prima repercutiunt nascentis tela diei
Marmoreæ turres: hyemali vertice qualis
Emicat in longum, et cœlesti subrubet auro
Caucasus, æternasque nives ad sidera tollit.
Ordine quæque suo, Libanon, tua gloria portæ
Bis denæ insurgunt: illas argentea texit

Lamina, cælatisque nitescit lucida signis.
  Hinc ritus absunt steriles; hinc, Græcia, Divi
Quot colis, et varias referentia marmora formas:
Ast habitat sincera Fides, præsensque tuetur
Spiritus Ætherius, purique Unius Honores:
Ergo queis Adyti fas est penetralia nosse
Externos prohibent gressus; quin munia soli
Agnoscunt propria, et certos per sæcla ministros.
  Subsistit miro aspectu, gressumque retractat
Hostilis turba, et visu tota hæret in uno,
Percellitque animum plusquam terrena voluptas
Mixta metu, ut lætâ quâdam formidine lustrat
Augusti monumentum operis, sacrataque tecta
Plena Deo quondam, et summo dilecta Jehovæ.
Sed prædæ sitis exardet—sed nescia fati
Pectora succendit non exorabile Cœlum,
Et præsens Deus, et gliscens divinitùs ardor.
  Hinc ruere Isacidæ, et cæcâ indignarier irâ,
Præcipitesque rapi, sacro dum in limine cernunt
Ora hominum vetita, et peregrinum insistere Martem.
  Heu! frustra!—Quid enim valeant sine numine vires?
Ergo et fatali porta insonat icta bipenni
Aurea, cælatæque trabes; quin cedrina victor

Claustra ignis vorat, atque incendia debita miscet,
Et spissam agglomerans ruit atro turbine nubem.
Corruis heu! veneranda Ædes—Laus alta parentum,
Corruis—et Cœlo, Tite, nescius ipse repugnas,
Dum prohibes tantam, flammâ superante, ruinam.
Ergo etiam insuetosque pedes, alienaque noscit
Undique Judæo vestigia fœda cruore
Necquicquam secretum adytum: mox culmina sordent
Exæquata solo, fractæ sine nomine moles,
Limenque egregium—nullo reparabile sæclo!
Quem finem trahat infensi vindicta Jehovæ
Tum videat—neque enim tanta hæc monumenta vetustas
Damnosa abstulerit—dubiâ dum mente viator
Desertumque solum longè hinc latèque tuetur,
Nec (spatiis quamvis porrectum ingentibus) usquam
Antiqui veneranda ostentans rudera saxi.
Tuque etiam, quicunque olim, diademate fretus,
Impendes operi demens, et non tua condis
Saxa manu vetitam renovans lævo omine molem,
Desine inexpletos Cœli irritare furores!
Desine—Terra tuis en! ipsa obnititur ausis,
Et tibi non vanus, viden? hic tibi fulgurat ignis.
Jamque adeò, si queis vis belli infesta pepercit,

Quos acta in saltus, quas non errabis ad oras
Turba exspes, et longè alio sub Sole requires
Tutas, si qua usquam loca sint tibi tuta, latebras,
Agnoscenda tuæ servans vestigia gentis:
Scilicet et linguam patriam, barbasque comantes
More suo, et cognata aliquis mirabitur ora,
Famosumque genus, seu congesto incubet auro,
Seu petat extremis lucri commercia terris.

Nunc quoque longinquum si quis lustraverit orbem,
Vel prima exorto quæ tellus sole rubescit,
Serave decedens cui spargit lumina vesper,
Australemve oram, aut Boreæ longè ultima regna,
Hìc etiam stirpem ejectam, sparsosque Penates,
Et Solymam pœnis fœcundam in sæcula novit.

Nec, dum sanctorum meminit præsagia Vatum,
Expletamque fidem recolit, monitusque tremendos,
Hæc putat esse vices Fortunæ, et ludicra Fata,
Sed certo Cœli arbitrio videt omnia verti,
Regnantem agnoscens constanti lege Jehovam.

THOMAS HOLDEN ORMEROD,

1818. E Coll. Nov.

SYRACUSÆ.

Propter floriferi consuetum flumen Anapi,
Dilectæque Hyblæ per dulcia rura, tacetis,
Sicelides Musæ? nullamne Arethusa Camœnam
Servat adhuc; vitreo quam sæpe Theócritus antro
Nectentemque moras, et molli carmine captam
Detinuit, vetuitque freti miscerier undis?
O si suave dolens lugubri Moschus avena
Funereum cantu patriæ decus adderet urbi!
Jam nulla Aönidum in sacris vestigia lucis
Apparent, mutique lacus, et Dorica Tempe
Pierios testata modos: quin occidit omnis
Gloria Trinacriæ: jacet urbs, quæ fertur Athenis
Haud impar congressa; jacet, quæ nacta tridentis

Imperium, terræque potens, sua jura volentes
Per populos dabat; angusto nunc limite saxum
Continet Ortygiæ, squallorque inhonestus obumbrat.
Non sic fatidicus ventura canebat Apollo,
Tunc cum divitiis inhians, et iniqua Syracæ
Stagna nihil metuens, nullo munita labore
Conditor exiguæ fundamina poneret urbis;
Parva quidem, sed tuta loco; nam plurima findit
In latos sese unda sinus, duplicesque recessus.
Fertur et ipsa novis Pallas risisse colonis:
Palladis auratæ primum per templa columnæ
Ad solem fulsere; Dea hinc præsentior urbem
Enitique dedit paulatim, et viribus auctis
Crescere; dum sensim per terram brachia tendens,
Quatuor amplexa est, a ventis quatuor, arces.
Tum belli tentare vices, ultroque propinquas
Solicitare armis gentes; tum fœdere victos
Accipere, et lætæ commercia jungere pacis.
Vosque, Syracusas, haud nullo Numine Divum,
Ad summas vexistis opes, et culmina rerum,
Illustres Heröum animæ! tu primus ad auras
Surge, Gelo! tibi enim vicinos fata dedere

Subjicere imperio populos, et Marte secundo
Pœnorum domuisse acies, patriamque tueri.
Salve, magne Parens urbis! tibi præmia Virtus
Fert propria, et vivos tumulo circumdat honores.
Nec te Musa, Hiero, tanto vix fratre minorem
Transierit, ni Pindaricis super æthera pennis
Evectum exigua fugerem tenuare Camœna.
Me, sacra Pieridum nutrix, ante omnia raptat
Aurea Libertas; illam sancto omine lætæ
Accipiunt gentes; illa adveniente beatus
Ridet ager, viget artis honos: ea maxima fovit
Ingenia, Hermocratemque, et sanguine jura Dioclem
Firmantem proprio, legesque in morte sacrantem.
Illa etiam, regnandi avidas, rerumque potentes,
Sola Syracosio confregit milite Athenas.
Vos, vacui portus, lateque silentia Thapsi
Littora, senta situ, famæque oblita vetustæ,
Vos testor, vidistis enim, quæ prælia vestram
Turbarint requiem, quantas induxerit ægra
Ambitio strages, geminique insania belli!
Nunc quoque (Plemmyrio quamvis sub vertice rarus
Tendit iter, leviterque secat maria alta phaselus,

Et, fidei monimenta, cruces circum ostia fulgent);
Nunc etiam antiquas videor mihi cernere classes,
Clangoremque haurire tubæ, mixtosque tumultus
Ad pugnam hortantum, et sacrum Pæana canentum.
Heu nox illa malis et acerbo fœta dolore,
Cum jam Cecropidum res fractæ; et Luna, labores
Insolitos perpessa, fugæ dare terga vetabat!
Longe alii motus animorum, ubi non sua puppes
Serta coronarunt, et jam clamore secundo
Pandentes velorum alas, Salamine relicta,
Sicanium lætis onerarunt classibus æquor.
Nunc, pro cantu alacri, pro spe, plausuque suorum,
Exercet vigiles effosso in carcere luctus
Insopita fames; quin tela arsere diei
Pestifera, infecitque auras spirabile letum.
Nec tamen has inter strages furiasque triumphi,
Nullus honor Musis: Graiæ meminisse Camœnæ
Profuit afflictis; teneraque Euripidis[1] arte
Molliti dominorum animi, laxæque catenæ.
Ecce autem invigilans urbi irrequieta Tyrannis

[1] Plut. Nicias.

Vincla movet super; et Siculis juga dura minatur.
Cui non Lautumiæ, cui non dolus iste barathri
Auditus? Claustrumque, et mons excisus in aurem
Dædaleam, infandique auctor Dionysius antri?
Martis amans tamen hic patriæ non defuit urbi;
Auspice non alio, crebra tremefacta bipenni
Piniferis sonat Ætna jugis; Calabræque fragorem
Dant sylvæ; unde novis navalibus ostia pandens
Thapsus inassuetas miratur surgere classes.
Hinc urbs imperium pelagi, et Mavortis honores
Præripere; hinc princeps torquere rubentia belli
Fulmina; succubuit perterrita Naxos, et Enna,
Et Catane victorem, et Troïa sensit Acesta.
Nec quamvis seras non accepere catenas
Rhegini grassante fame; cum civibus ipsa
Gramina deficerent, et victus herba negaret.
Quid memorem Motyæ clades, et fortia frustra
Pectora? quid cædem Entellæ, quid Amilcaris arma
Versa retro, et Pœno rorantes sanguine campos.
O modo legitimis animum satiare ferocem
Si spoliis voluisset, et extera bella movere;
Nec patriæ armasset rabies in viscera dextram!

Exoriare ultor, præclaro digne magistro,
Digne Platone Dion! doctas paulisper Athenas
Desere, felices Academi desere sylvas,
Rursus[2] et horrendam belli emetire Charybdin.
Te quoque fraterna quamvis de cæde cruentum,
Timoleon, te labenti succurrere sæclo
Fata sinunt; nec enim frustra delapsa, verendo
Crine sedet, spondetque novos sacra[3] vitta triumphos.
Eia agite, ultores vos sceptrum immane Tyranni
Jamdudum vocat, et violatæ injuria gentis
Ulterius non passa moram. Vos eximet ævo
Nulla dies. Si quid patriæ pia cura valebit,
Si quis honor tumuli, longum per sæcula nomen
Timoleontei servabit gloria Templi.
Felix, auspiciis semper si talibus usa,
Trinacriæ Regina; nec unquam, fraude maligna
Hippocratis decepta, ultro funesta tulisses
Prælia, Romanis audax te opponere signis!

[2] Dion, ut ait Plato, Syracusas rediit Ὀφρ' ἔτι τὴν ὁλοὴν ἀναμετρήσειε Χάρυβδιν.
[3] Plut. Timoleon.

Quid ruis in fatum? quid flavæ spernis aristæ
Munera? quid Cereri Libyca dilectior ora
Fastidis pacem, armorumque incendia misces?
Annibalis victor, spoliisque beatus opimis,
En tandem Marcellus adest! super æquora victrix
Longa triumphali sese explicat ordine classis:
Mille adsunt nova bellorum instrumenta, necisque,
Cratesque, pluteique: et centum fulta carinis,
Extans, urbis opus, muro sambuca minatur.
O Sophia, o sanctos dignata recludere fontes
Doctrinæ, mentemque extra confinia mundi
Elatam rapuisse: unus, tua jussa secutus,
Unus consilium ducis, et Romana moratus
Agmina, devotæ fortunam distulit urbis!
Ille etiam cœlique vias, et sidera novit:
Et vitreæ Solis jubar in convexa tabellæ[4]
Contrahere, et subitis naves involvere flammis:
Aut rapere elatas, fractasque illidere saxis.
At misera extremam falsa inter gaudia noctem
Urbs agit, effuso[5] spumant carchesia Baccho,

[4] Plut. Marcellus, et Liv. 24. [5] Liv. 25. 23.

Letiferisque vacant epulis. Heu nescia fati
Mens hominum!—crebro sonat ariete porta, tubarumque
Horrendos audit strepitus Acradina, videtque
Victrices Aquilas, ipsam intra mœnia Romam.
Marcellum interea jam devastata videntem
Labdala, et immissis ruituras ignibus arces,
Continuo fati subiit melioris imago,
Et qualis quanta populus sub clade jaceret;
"Ergo, ait, hæc Siculi sedes pulcherrima regni
Occidet, et signis strages ea debita nostris?
Usque adeone brevi Manes Hieronis amici
Spernimus, et junctas non hæc in fœdera dextras,
Ut manibus nostris accensæ hæc omnia flammæ
Diripiant, et sæva effræni militis ira?
Non ita: victorem magni miserebitur hostis,
Et lauro implicuisse piam laudabor olivam."
Talia mente movens rabiem compescere belli
Gestit, et hac illac studio volat acer honesto:
Nequicquam; tota fervens dominatur in urbe
Jamdudum strages; animos furor ebrius urget,
Et, stimulata mora, sitis irrequieta rapinæ.
Ecce autem incumbens peraratis pulvere formis,

Mystica doctrinæ Sapiens, penitusque latentes
Naturæ toto volvebat pectore leges:
Infelix, qui non vicina tonitrua belli
Audierit! capiti impendens sublime coruscat
Fulmineus mucro: non conscius ille pericli
Sternitur, inscriptaque jacet revolutus arena.
Ergo te, patriæ columen, te barbara leto
Dextra dedit; magnusque cinis tellure jaceres
Ignota, ni parvam inter dumeta columnam
Vix humili ornatam sphæra tenuique cylindro
Inventam Arpinas[6] merito cumulasset honore.
Tam leve, tam fallax decus est quodcunque sepulcri!
Heu quianam humanos semper volventia casus
Fata ruunt in pejus; et alto in cardine rerum
Pendentes trepidant, bellis vertentibus, urbes?
Ergo ea legitimis Marcelli erepta tropæis
Marmora Praxitelis, spirantia signa, supersunt,
Scilicet ut Verres manibus populetur avaris?
Inque novas venient clades, ut sævior hostis
Det flammis; ut Romani vigor igneus astri

[6] Cic. Tusc. v. 23.

Cum deferbuerit, præda lætentur opima
Lunatum Mahumedæ agmen, Turcæque feroces?
Suave aliquid tamen hæc veteris vestigia gentis,
Siqua manent, lustrare; et saxo effossa theatra,
Templaque, lapsuramque Jovis venerarier ædem.
Et juvat inter agros errare ubi, tristia quondam
Notaque suppliciis loca, nunc florentibus hortis
Lautumiæ[7] rident; infixaque vincula rupi
Viva tegunt folia, atque ingens oleaster obumbrat.
Felix nunc etiam tellus, si prodiga quantum
Sparsit opes, largasque sinu Natura profudit
Delicias, tantum ipsa animis armisque tuorum
Consuleres famæ! Turgent in collibus uvæ;
Hybla thymo, ut quondam, redolet; flaventiaque arva
Non magis averso nutrit Sol aureus igni.
At genus acre virum, at nullo frangenda labore
Corda absunt: friget, qui Spiritus intus alebat,
Libertatis Amor: subiitque insana Libido,
Et furiale Odium, et dissuasor Luxus honesti.
Nequicquam obtusas tibi Gloria personat aures;

[7] Stolberg.

Et sanctum Patriæ nomen : nihil ista morantur
Degeneres, queis fœda nigra super incubat umbra
Desidia, enervatque animos, prohibetque nefanda
Excutere imperia, et dominorum erumpere vinclis.

EDUARDUS G. SMITH STANLEY,

1819. Ex Æde Christi

NEWTONI SYSTEMA.

Natura tua vi
Tam manifesta patet ex omni parte retecta.
LUCR.

QUÆ rerum arcanæ leges, quo fœdere juncta
Omnia conspirent, socio quæ sidera motu
Vis rotet ingenita, et præscripto tramite flectat;
Hæc, veterum obscuris frustra tentata repertis,
Tandem aperit volvenda dies, et faustior ætas.
Tandem ortus, veri inventor, Newtonus, et umbræ
Discussæ cœlo: Tibi enim, tibi, magne, capaci
Tota aderat Natura animo, et patefacta superne
Cærula, qua certo volvunt se errore planetæ,
Quaque extrema patent confinia lucis, et æther

Latior, innumerique ardent circum undique Soles,
Præ quibus hoc nostrum sordet jubar, igne coruscans
Quisque suo, et proprios torquens per inania mundos.
Tecum ergo Artificis scrutari opera ampla supremi
Fervida mens avet, et læta formidine gliscit,
Magna movens, terrasque ultra molita laborem.
Principio, informi cum jam disclusa profundo,
Voce animata Dei, vegetoque instincta vigore,
In lucem emicuit rerum pulcherrima moles,
Continuo hæc, gigni queis quatuor omnia cernas,
Semina discreta inter se bene providus Auctor,
Concordemque dedit servare immota tenorem.
Ergo momentum penitus moli indidit illud,
(Unde ortum, proferre nefas; cæca abdita nocte
Causa latet, neque Newtoni lux dia retexit;)
Quo paribus paria afferri et conjungier optant
Corpora, et arcano properant coalescere ductu.
Nonne vides, in terram humor qua forsan aquai
Deciderit, sicco dispersæ pulvere guttæ
Ut coeunt cupide, et teretes glomerantur in orbes?
Non aliter tibi materies, ubicunque patescat,
Attrahit, attrahitur; coeundi amor omnibus idem,

Omnis et in sphæram moles condensa globatur.
  Quippe etenim magnos naturæ infusa per artus,
Terramque, et maria, et cœli spirabilis auras,
Vis eadem imperium profert, et cæca potestas
Diditur, et toto princeps in corpore regnat.
Ergo, corporeis quæ constant cunque elementis,
Omnia, cognata simul acta cupidine, et uno
Consensu in medium niti, et congressa manere.
Haud alia compage hæc terræ astricta cohæret
Congeries; hæc tuto orbes dat turbine volvi.
Atque ea si quando vis intermissa quiescat,
Horrisono actutum ferri in diversa fragore
Axe suo tellus avulsa, et fragmina in auras
Dispergi insano montesque urbesque tumultu.
  His animadversis, facili datur ardua visu
Prospicere, ætheriique vias cognoscere cœtus.
Ter bini instaurant cœli per vasta planetæ
Præscriptum stadiorum iter, et se lampada Solis
Circumagunt. Media sedet ille immotus in arce,
Imperioque regit cursus, et flammea pascit
Corpora, inaccessæ pollens fulgore diei,
Mundi anima et lumen: Divinæ O lucis imago

Optima, qui finxit, qui te talem extulit, uno
Omnipotente minor; te sæcula mille animantum
Suspiciunt patrem; cœli revolubilis ordo
Te penes: occultis cohibens tu sidera vinclis,
Concordes flectis, dulci haud sine carmine, gyros.
Binæ adeo (duplex astris quæ causa movendis;)
Primitus impressæ vires: quarum altera recto,
Quò ferat impulsus, præstat propellere motu;
Altera, qua medium cupide connixa petissunt.
Par ambas vigor, atque æque librata potestas
Inter se tenet oppositas; ita mutua litem
Componunt adversæ, et opus miscentur in unum.
Stellæ igitur primum dederat quam dextra Moventis
Cuique viam, æternum tenuisset, et avia longe
Raptasset sine lege fugam; at refrænat ab alto
Subtile imperium Solis, reprimitque coercens
Multa renitentem. Hinc demum media inter utramque
Curvatis via fit spatiis; redit error in orbem,
Et sua perpetuo relegunt vestigia gyro.
Præterea, quanto Sol quem properantius ignem,
Interiusque trahat cursu propiore reflexum;
Tanto ille obnitens rapido magis impete fertur

Prælapsus, cœloque fugax decurrit aperto.
Inde, ubi jam spatia emensi longinqua residit
Impetus, et sensim languescit inertior actus,
Tunc iterum Sol excipiens obliquat in arcum,
Detorquetque viam furtim, revocatque volentem.
Tanta Dei cura, et casu prudentia major
Consuluit rerum summæ; tam dædalus ordo
Sidereas stabili componit lege choreas.

Proximus angustum volucer Cyllenius urget
Curriculum: premit obtusum, spoliatque nitore
Vicini incumbens non æqua potentia Solis.
Nec torrere ideo jubar intractabile, et illi
Fulgere invisum, quo gaudent cætera, lumen
Crediderim; nec velle Patris decreta negatos
Indigenis finxisse orbes, vitaque vacantes.
Verius, aut gelido, qui interfluit, aere iniquus
Mitescit calor, et terris se mollior infert;
Aut illis, quicunque habitent, consueta sagittis
Temperies rapidis, flammæque illæsa resistit.

Inde loci sequeris, quam longior orbita versat,
Tu, stellas pulchra ante alias; quæ, luce benigna,
Nunc reducis fulges prænuntia læta diei

Æstivæ; nunc verno almum sub vespere vultum
Exseris, et cœlum rosea face pura serenas.
Ah! quantum tibi dissimilis, lugubre rubescit
Ore truci Mavors; æquis tamen hic quoque ridet
Muneribus; non anni absunt florentis honores,
Jucundæque vices, et victus prodiga gleba.
Hos inter concessa homini pulcherrima sedes.
Tellus, dives opum, omniparens: Illa annua Solem
Circuit, et librata polis obliqua recumbit;
Tum lævi furtim volat usque volubilis axe,
Et nos cum levibus tacite circumvehit auris.
Hinc tempestates variæ, hinc somnique dieque
Ire alterna quies; plaga quæque obversa calorem
Excipit, et fœtu exundat ditissima mater.
Quin et, luciferum quæ pars avertitur ortum,
Non tamen omnino radiorum et lucis egena
Torpet iners: illi succurrens Luna benignum
Pallida dat jubar, atque alienos mitius ignes.
Illa etenim, terrai orbem dum menstrua lustrat
Fida comes, Soli interea bibit obvia lucem,
Jam propior, jam se retrahens; nec passibus æquis
Perplexum sinuat per torta volumina cursum.

Ni faciat, terram quoties circum acta citatam
Itque reditque viam, toties ea lumen amænum
Interjecta neget terræ, tellusque vicissim
Occupet attonitam, atque inimicis obruat umbris.
Conditor id vetuit prudens, neque discrepat ordo.
Illæ adeo officiis certant, atque æquoris ambæ
Subjecti assidue tollunt agitabile marmor,
(Sincero vigor unde mari;) radiisque renident
Altera ab alterius fulgorem imitata diei.

Ultra autem, virgatum ornant cui cingula vultum,
Sidereæ gentis quæ maxima, et æmula Solis,
Stella Jovis comites lunas sibi subjicit; illæ
Observant longe regem, lustrantque choreis.

Nec vero leve nomen habet, neque cedit honore,
Quem medium stipant septeni hinc inde ministri,
Et magna circum se mole volubilis ardens
Zona movet, nimboque ambit complexa corusco.
Lætior inde dies, et non suus irrigat ardor,
Ter denos dum tardum annos iter explet, et almo
Sole procul gelidis pallentior exulat oris.

At neque clausa illic series; ineuntia cursus
Consimiles, (pars vasto æthræ submota recessu,

Pars propior, sed luce oculos quæ languida fallunt;)
Lumina, dudum ignota, patent: ita serior ætas
Newtoni cœptis accensa ingentibus instat,
Evolvitque novi victrix penetralia mundi.
Ante alios tamen ille nitet præstantior ignes,
Cui tu, lux Britonum, tu, quem modo flevimus orbi,
Augustum in terris nomen per sæcla dedisti.
Tu nunc, sancta anima, et meritorum præmia nactus,
Morborum ærumnis, et mentis nocte sepultæ
Permutas cœli jubar immortale, tuorumque
Alloquio fruere, et ruptos conjungis amores.
Parta tibi requies: nos portu distinet æquor
Undosum, et fessos jactant hinc inde procellæ.
Te vero devincti animis, te, dum tua lucet
Stella polo, memori semper sub corde foventes,
Ingenium moresque aureos, memorande, colemus.
Ecce! autem nova se attonito miracula visu
Objicere, et rerum major consurgere imago.
Scilicet hæc, diversa locis, tamen æquore eodem
Multiplices æquant crescentes ordine gyros.
At vero non ista viæ data norma cometis:
(Quippe ruant deflexi ultro, et compage solutos

Exturbent, fractosque impingant orbibus orbes:)
Liberiora illi spatia, et semota capessunt
Cœlorum, pronoque ibi præcipites decursu
Fulminis antevolant alam, et velocius usque
In Solem ingeminant, at non sine lege, volatum.
Inde retro flexos cunctantior usque retorquet
Impetus, et raptos spatia in longinqua recondit,
Quo nec acuta acies, nec mens valet ipsa vagari.
Interea propiore hausti sub Sole vapores
Longius effundi, et vasto flammescere tractu
Cœlum, dira rubens: humili formidine pressæ
Suspiciunt gentes, seque et mortalia temnunt.
Quin illic scelerum pœnas expendere sontes
Fingitur, atque ibi dura pati contraria duris;
Frigore jam torpere procul, jamque inde reversos
Ad Solem rapido flammæ comburier æstu.
Immo etiam, Solis quoties defecerit ardor,
Hos in se attractos rapiat, radiisque refectus
Flagret, et effœtæ reparet dispendia flammæ.
  Haud etenim æternæ, credo, mandata saluti
Stat mundi Natura ingens, neque maximus Auctor
Perpetuos, fati immunem, stabilivit in annos.

Namque ubi longinqui virtus languescere Solis,
Et spatio imminui devicta, ibi fortius æquo
Sidera concipiunt vires, notumque recusant
Imperium, et cœcis audent se exsolvere vinclis.
Ergo vicissim attracta trahunt, et ab ordine jusso
Delibrata fidem rumpunt: volventibus annis,
Tandem erit, ut discors turbetur machina mundi,
Confusamque trahat cœli terræque ruinam.
Hæc tamen assiduo pereuntia lumina casu,
Hæc tibi, mortalis, finxisti numina, et aris
Procumbens, sanctoque (nefas!) dignaris honore;
Nil animæ memor ipse tuæ, quæ Mentis imago
Divinæ, omnigenûm princeps quæ gloria rerum,
Nesciaque extingui viget, æternumque vigebit,
Restinctum quando præclarum insigne diei
Nox premet, et flamma involvens populabitur orbem.
Iste agitet cæcos error! vestigia nostra
Tu, Newtone, regas, certoque in tramite ducas.
Te, suspensi animos, secreti turbine vitæ,
Dum sequimur vasti pandentem arcana profundi,
Inque dies se rerum effert sublimior ordo;
Inde doces purgato humiles e pectore curas

Excutere, et votis supra terrestria tolli,
Æternumque Dei meditando attingere Verum.
Ille, velut diffuso animans Sol lumine mundum,
Fons vitæque bonique ingens, Ille omnibus unus
Diditur, auget, alitque; oculis Ille aspicit æquis
Maxima cum minimis, et eodem servat amore;
Ille suî plenam Newtoni mentem animumque
Extulit; Ille orbes, solio quot mille sub alto
Volvuntur, regit imperiis, et numine complet.

W. R. CHURTON,

1820. E Reg. Coll.

ELEUSIS.

Sanctasque faces attollit Eleusis.
CLAUD.

QUISQUIS iter tendas, curvi prope littoris oram,
Inter Thriasii florentia jugera campi,
Siste pedem, atque ævi recolas monumenta prioris:
Ante oculos strati lapides, dejectaque passim
Fragmina templorum; leni curvamine colles,
Opposita Salamine, tument; et littore in ipso
Impendet lævi scopulo Cerealis Eleusis.
Salve! sancta domus, magnæ penetrale Parentis,
Delubrum commune orbi: licet omnia circum
Prona cadant ævo, propriamque haud nosset Eleusin
Ipsa Ceres; licet hic, prohibet neque talia cœlum,

Impius Othmanides Graia dominetur in æde,
Aut prædator agens pecudem de monte, sagittas
Exacuat vigil, et raptis insidat acervis;
Saltem aliquod veteres tumulos, dilapsaque fana
Numen habet, latebrasque, et roscida littoris antra
Servat adhuc; jam nunc videor mihi cernere fulgens
Agmen, et innumero conferta satellite ferri
Sacra Deæ, ac longa fervescere littora pompa.
Unde autem magnus Sacrorum inceperit ordo,
Quo duce, quo tandem fuerint quinquennia festa
Auspice, lustralemque aram jactarit Eleusis,
Dicendum, si longa valet docuisse vetustas.
Ipsa Ceres cultum tribuit, causamque colendi:
Tempore quo procul a Matre, æqualique caterva,
Virgineos inter lusus, æstivaque rura,
Luctantem abripuit Sicula de valle puellam
Ditis amor. Vidit rutilos Trinacria currus,
Vidit equos flammasque, infraque immane barathrum
Palluit, infernumque vomentia Tartara Regem.
At vulnus circum gerit insanabile Mater,
Amissam repetens prolem; vos dicite, Nymphæ,
(Nostis enim,) nemora et saltus quæcunque Sicanos,

Ventosumque Erycen, aut lene fluentis Anapi
Sorte tenetis aquam; Lilybæon, et alta Pelori
Culmina, et undantem centum fornacibus Ætnam;
Quo non Diva pedem tulerit, quæ spreverit usquam
Littora, "Persephone" quibus haud clamarit in oris.
Per fines Italum, per Dorica rura vagantem
Duxit amor, fausto donec magis ordine rerum
Ad sacrum nemus, et viridem properaret Eleusin
Orba Ceres; alacres illam in sua regna coloni
Excipiunt, fletusque avido solantur amore.
Testis tu, curvi dictus monstrator aratri
Triptoleme, alato vectus serpente per orbem;
Vos etiam, campi, testes, et Rharius ille
Rite canendus ager, toto qui primus in orbe
Sementem, aut dulcem frumenti noverit herbam.
Hinc et Elusinam præsenti numine glebam
Diva sibi coluit, celebrandasque ordine pompas,
Et sanctum jussit servari in sæcula nomen.
  Ergo omnes Danaum vario sub nomine gentes
Huc fluere, et densa stipare altaria pompa;
Quin et ab extremis mundi regionibus ultro
Tot coeunt populi, votivaque munera portant;

Quos Oriens mittit, quos frigidus aere vesper,
Qui Tanain, Istrumque colunt, qui regna Canopi,
Et Latii genus, et rerum pulcherrima Roma.
Scilicet Ægypti madidis in finibus Isin
Linigeri implorent prisco de more ministri;
Imperet antiquas Asiæ Diana per urbes,
Creta Jovem poscat, Venerem circumflua Cyprus,
Principium rerum; at duris Samothraces in arvis
Idæam celebrent Matrem, sanctosque Cabiros;
Primus Elusinæ Cereri locus; ultimus orbis
Hanc colit, hanc sacræ primam venerantur Athenæ.
Felices nimium! templi secreta tueri
Queis datur, arcanisque impune assistere sacris.
Hi curis vacui, et vita meliore potiti
Lætitiam pacemque colunt; his purior aer,
His nitidus splendore suo Sol; arva virescunt
Semper, et æternum spirat ver aureus annus.
Contra autem, quos tu, Dea, non spectaveris usquam
Participem sacrorum, aut in tua jura vocaris,
Perpetui exagitant fletus; post ultima fata
Non Superas adit ille domos, sedesve piorum
Discretas; non densa inter myrteta recumbens

Otia agit, lætisque vagus spatiatur in arvis.
  Tum si quis templi secreta, et mystica jura
Prodiderit fando, aut Numen violaverit aræ,
Non illum accipiunt epulæ, non pocula Bacchi,
Nec dulces citharæ, sanctæ neque carmina Musæ.
Morte luit facinus, tumuloque Infamia major
Devovet æternis caput execrabile diris,
Et manet in seros longe deducta nepotes.
  Scilicet in puros ritus, et fœdera sancta
Diva suos vocat, et sanæ consortia mentis;
Non illa obscœnos cultus, non impia novit
Orgia, per Rhodopen aut qualia sæpe nivosam
Thyades instaurant Bacchæ, rapiuntque furentes
Huc illuc tædas; "Euoe!" cum personat Hebrus,
Et nemora ingeminant longis ululatibus "Euoe!"
At sanctos animi mores, castumque decorem
Præcipit usque suis, et toto præmia laudis
Corde sequi, atque brevem virtuti impendere vitam.
  Haud impune ergo arcanos penetrare recessus[1]
Infandum! atque ipsi voluit succedere templo,

[1] Suet. Vita Ner.

Omne ausus furiale nefas, nuperque cruentus
Materna de cæde Nero; nil contulit ipsi
Purpura, nil fulgens diadema, et territus omni
Abstinuit luco, et nigris sese abdidit umbris.
Quin et Thriasii præsentis numina Divæ[2]
Senserunt campi, rapidi cum turbinis instar
Baccharetur ovans vasto circum agmine Medus,
Disjectæque urbes, et desolata jacerent
Arva, nec eversas tegeret jam Pallas Athenas.
Tunc inter tenebras et dira tonitrua, nimbo
Accinctam, ex adytis magnam procedere Matrem
Vidit Cecropidum pubes; tremuere cavernæ
Adventante Dea; quo visu, expalluit amens
Barbarus, ac toto trepidarunt littore nautæ.
Proxima quæ memorem? quo possim carmine totam
Sacrorum seriem, celebresque ex ordine pompas
Rite sequi, et magnam gemina cum prole Parentem?
An memorem tædas, et anhelo concita cursu
Agmina, votivamque agitantes lampada mystas?
An te, magne, canam, te myrto insignis Iacche,

[2] Herodotus, lib. viii.

Quem strepitu Matris pubes deducit ad ædem,
Quem thyrsus thiasusque decent, quem mystica vannus?
Adde puellarum gestantem occulta catervam
Sacra manu, tardeque super volventia plaustra
Impositas calathos, obscuræque orgia cistæ,
Orgia, non oculis spectanda impune profanis.
  Ergo ubi jam cunctis arcana silentia terris
Sparserit alma quies, lecti longo ordine mystæ
Succedunt templo, viridanti tempora circum
Velati myrto, niveaque in veste nitentes.
Ipse inter medios, turbaque insignior omni
Emicat antistes, tunica strophioque refulgens.
Stant circum comites; tædam fert eminus alter
Sacratam, magnaque alter ter voce profanos
Admonet ire procul, foribusque absistere sanctis.
Tum subito mugire solum, immensoque fragore
Quassari ingentes ipsis altaribus ædes;
Tum diræ audiri voces, tum infanda videri
Portenta, et densos percurrere fulmina lucos.
Procubuere metu; laxis bacchatur habenis
Perque artus animosque timor; tam lurida circum
Nox Erebi, et sontum luctus, pœnæque videntur

Ingruere, ac Stygias Manes ululare per umbras.
  Mox tenebras inter medias lux alma repente
Exoritur, meliorque dies, et purior aer
Excipit, et dulces nemorum in convallibus umbræ.
Apparet Divæ simulacrum, ipsius imago
Luminis, ac vivo solidum de lumine corpus.
Vellem equidem, vellem, ni frigida vena vetaret,
Insanire simul, blandumque haurire furorem,
Et saltare choro, tædasque agitare volantes.
Cuncti adeo sancta penitus dulcedine capti
Concelebrant magnam Matrem; poscentibus olim
Ut dederit frumenta viris, ususque colendi
Monstrarit; varias ut vitæ invenerit artes,
Et mores hominum cultu placarit agrestum:
" Te Superi Manesque colunt; tu cærula cœli,
Et pelagi tractus, et magni mœnia mundi
Sustentas, nigroque potens dominaris Averno.
Te duce, se glomerant nebulæ; te, decidit imber,
Semen alunt sulci, turgetque in palmite germen.
Te, Dea, te metuunt liquidi per inania cœli
Aeriæ volucres, metuunt te lustra ferarum;
Squamigerique angues, et nigri monstra profundi:

Te Terra agnoscit Dominam; quacunque moventur,
Usque tuæ auscultant cœlestia sidera voci,
Et festinantes revolutis cursibus anni."

Ergo, si qua fides, ubi sancto in limine membra
Straverit, atque adyto trepidas admoverit aures,
Solennes inter cantus, pompamque nitentem,
Insolitas voces, neque adhuc vulganda profanis
Dicta bibit Mysta; ut frustra sibi Græcia centum
Taurorum pingui placarit sanguine Divos,
Lenæum e pateris frustra libarit honorem,
Turicremosque focos, et inanes struxerit aras.
Unum namque sibi auctorem, finemque, Deumque
Naturæ leges, et rerum arcana fateri
Fœdera, qui pulchram hanc florentemque ubere terram
Et pelagi maria, et lati spatia ultima cœli,
Imperiis regit omnipotens, impletque, movetque,
Ad se cuncta trahens, sese per cuncta refundens.

Hæc olim cecinere, obscura exordia lucis
Venturæ, dubiique incerta crepuscula veri.
At nondum erroris tenebras amovit inertes
Cæca Superstitio; nondum æthere lucet aperto
Tota dies, largoque irrorat lumine mundum;

Donec Tu, sanctis toties memorate Prophetis,
Ipsa Dei soboles, tandem mortalibus ægris
Exspectate venis; tu summi jussa Parentis
Scilicet, æternique operis Mysteria Verbi.
Te fracti ærumnis omnes, victique labore
Sponte petunt, ipsoque bibunt de fonte salutem.
Te, Deus, humano manifestum in corpore Numen,
Haud sterili pompa, aut cæsis de more juvencis,
Sed cultu meliore, animoque et corde fideli
Prosequimur. Tu prisca luis contagia culpæ
Morte tua; tu das purgatis crimine sedes
Affectare tuas, propiusque accedere cœlo.

G. HOWARD,

1821. Ex Æde Christi.

ALPES AB ANNIBALE SUPERATÆ.

Romanis arcibus olim
Exitium magnum, atque Alpes immittet apertas.

TURBAM inter, fremitusque, et pallenti agmina luctu,
Sterneris ad templa, et frustra veneraris iniquos,
Roma, Deos; toto circum portenta moveri
Visa polo, Stygiis Sol immiscerier umbris,
(Infandum!) diroque rubescere sidera bello.
  Ergo in Romuleos male conjurata Penates
Fata ruunt; non illa novas avertere pompas
Diis Superis visum, non sanctæ oracla Sibyllæ.
  Ergo erit, ut seras multo cum sanguine pœnas
Exacuant Manes, et Dii morientis Elisæ!

Illa amens animi, et furiis bacchata cruentis,
Impia fatali pinguescere littora cæde
Audiet, ultoremque armari in prælia Martem;
Audiet, ac sævo vix jam satiata triumpho,
Læta omen feret, et gressu insultabit ovanti!

Victor ab Oceano, Zephyrique tepentibus arvis,
Barbaricas vires, et belli immania monstra,
Pœnus agit, durasque ardens Eversor ad Alpes
Fulminat—una omnis ruit in certamina pubes,
Cæde recens Afer, niveisque Hispanus in armis,
Et quos terribili spirantem funera vultu
Gallia alit prolem, volucrumque agitator equorum
Infrenis Numida, et fundæ Balearica virtus.

Gallorum circa campi—pleno æstuat amne
Proruptum volvens Rhodanus mare—dura coronant
Saxa super, cœlique oris miscentur apertis.
Naturæ salvete domi! (seu numine templa
Digna suo, mediisque æternas nubibus aras,
Omnipotens dedit; aut cædes miseratus acerbas
Irarum finem, et divisi mœnia mundi,
Immotis posuit claustris;) vos ardua supra
Relligio, Terrorque, sedet; vos pallida vestit

Majestas, gelidaque horrens Formidine Letum.
Hoc solium sibi fixit Hyems; super omnia torpent,
Æternum diadema, nives; furit improba circum
Tempestas, ignesque et viva tonitrua densat:
Innumeri reboant montes, totoque tremiscit
Exanimis Natura sinu; tam lurida noctis
Caligo, et sævi nigrescere Turbinis ira,
Et circumfusi late ruere atria cœli.
Audin'? ut insano fracta de rupe tumultu
Præcipitat moles, fulmen nivis! aspera nutant
Saxa procul, sylvæque ruunt, præruptaque passim
Fragmina, et horrificis trepidarunt antra ruinis.
  Extemplo ingenti secum fervescere motu
Pœnus, et optato turbari pectora visu;
'Tandem,' ait, 'hic nostris succumbit terminus armis;
Numen adest; sic ante preces, sic vota fuere.
Hic ubi devicto fluitantia vertice signa
Instituam, et dulces Italum spatiabor ad auras;
Ausoniæ fletus, Romanorumque ruinas,
Aure bibam, tremuloque metus suspiria vento.
Me Capitolini victorem ad limina templi
Innumeræ metuent gentes; me numina Divum,

Et sancti Patres, et Plebs invisa Quirini
Agnoscet Dominum, et justo exornabit honore.
Cæde aræ rubeant, per tecta madentia cæde
Exercete iram, sævasque immittite flammas,
Impiaque æternæ succumbant sæcula nocti.'

Talia venturæ spirans insomnia famæ
Barbarus, ac cœptis ingentibus effera volvens
Lumina, per densos, furialia corda, maniplos,
Urget iter: non ille opulas, aut munera Bacchi,
Assuetus colere, aut festi convivia luxus;
Sed mores rigidi, sed mens exercita curis,
Immortale odium, et cari genitoris Imago,
Accendunt animum, et belli insatiabilis ardor.

Quin omnis subit ista olim sanctissima pompa,
Cum Superos, Manesque, ultro testatus, ad aras
Staret, et æternos odii servanda per annos
Vota daret; rutilis fulsere altaria flammis
Conscia, et attonitæ sacrarunt omina turmæ.

Atqui ipsum (ni vana fides) monuere Deorum
Prodigia, et victas monstrarunt ordine gentes,
Ut, fati interpres, diva appareret Imago,
(Altum inter somnum, mediæque silentia noctis),

Squamigerumque atro sequeretur corpore monstrum;
Tum ruere infandæ strages, sylvæquæ trementes
Prosterni, et magnum percurrere murmura cœlum.
  Jamque omnis properanda via est; tota undique castra
Pulvere misceri, et nigram increbrescere nubem
Aspicio. Tu! qui gelida dominaris in arce,
Regna tenens, horrende Geni! cui informia parent
Frigora, cui saxis superimpendentia saxa,
Pande tuæ penetrale domus, daque omnia versu
Rite sequi; tu nam medias nova bella per arces
Vidisti ingruere, et solio sublimis in alto
Non impune tuos violarier hoste recessus!
  Ergone Naturæ duros perrumpere fines,
Maxime, inaccessasque gravi quatere agmine nubes,
Ausus eras, nulloque calentia sidere regna.
Nil hyemis valuere minæ, nil ira Deorum,
Ingentem turbare animum; ruis arduus alto
Bella movens cœlo, et superos armaris in hostes.
Quid memorem erroresque viæ, turbataque passim
Agmina, et infestos glaciali frigore cursus?
Quid dubias penitus subterlabentia rupes
Flumina, ut insano spumantia vortice fervent,

Avulsosque globos, disjectaque fragmina volvunt ?
Ipse Alpes miscere suas, et turbida visus
Regna Deus. Quoties ruptis infida cavernis
Dissiluere antra, atque infra Plutonia pallent
Tartara, et invisi late penetralia Ditis !
Parte alia, intonsæ, pubes montana, catervæ
Impendent capiti, feraliaque agmina jungunt ;
Discurrunt, variantque vices, pugnamque lacessunt
Infensi, latebrisque iterum celantur opacis ;
Rursus in arma ruunt, duramque trahentia mortem
Saxa rotant, longisque acuunt ululatibus iras.
Obstupuere animi, ut sævas nemora horrida voces
Ingeminant, ictusque cadentum, et vulnera utrinque
Cæca, repercussisque sonant in vallibus arma.

Interea nonum reparabat in æthere solem
Alma Dies—summo insultans in vertice Pœnus
Explicuit signa, atque optata in sede superbit :
Hinc procul Ausoniæ campi, felicia rura,
Visa oculis : mediis se infert pulcherrimus agris
Fluviorum rex Eridanus, sacrisque vagatur
Vallibus, et pingui ditat sua gurgite regna.
Hic vere assiduo spirant ridentia prata,

Et spissæ lucorum umbræ, castique recessus.
Hic lætæque oleæ; et vitis gratissima Baccho,
Aurea purpureis distinguit culta racemis.
Continuo mirari omnes, finemque laborum
Amplecti procul, et visu mansuescere corda;
Ut placidæ sedes, et fortunata virescant
Regna hominum, riguisque errent in vallibus undæ;
Ut fluvios, vivosque lacus, sylvasque comantes,
Egregiasque urbes infra, et delubra Deorum,
Oppidaque antiqua dudum florentia pace,
Diffundat radiis, et inauret lumine cœlum.
"En dignæ Divum sedes! en aurea regna
Italiæ," exclamat; "jam victæ incendia genti
Ferte, Saguntinoque recentia tela cruore.
Vos neque perpetuis urgens Hispania bellis,
Nec Pyrenæi nigra formidine saltus,
Non tanti domuere hostes; superatus Iberus,
Et rigidi Volcæ, et Rhodanus violentior undis,
Et nullis parens insana Druentia ripis.
Hinc faciles cursus, hinc mollia rura; laborum
Præmia, devotique hostes; jam mœnia Romæ
Procumbunt, aræque, et desolata nigrescunt

Templa Deum, et mistis Capitolia versa ruinis."
Ergo iterum toto spirans e pectore martem,
Arma rapit, properoque instat descendere cursu,
Bellatorum acies: quis longam iterare laborum
Rite velit seriem? quis saxa liquentia flammis
Dicat, et insolitis pacatas viribus Alpes?
At vos, O Superi, quorum sub numine Roma est,
Infandum prohibete nefas! prohibete piorum
Exitium, et priscos gentis servate triumphos!
Eheu! si poterunt unquam fata aspera rumpi,
Saltem aliquod tardate malum! furit horridus armis
Afer, et ad fractas tonat ingens Annibal aras.
Tandem igitur latis Italum spatiaris in arvis,
Carthago; totis tremuerunt agmina campis,
Ut sævas hominum species, ignotaque castra,
Squallentemque manum, et deformia monstra, elephantas
Aspiciunt—magnas volat improba fama per urbes,
Dira monens procul, et terror comitatur euntem,
Romanasque quatit præsagis motibus arces:
Testor te, fluctu labens Ticine cruento,
Vos, fontes Trebiæ, et Thrasymeni nobilis unda,
Testor vos, Romæ fatalia nomina, Cannæ,

Quis belli furor, et quanti tibi, Pœne, triumphi,
Ante odium cœli, tristisque resederit ira,
Ante graves Stygio requierint littore Manes.
At tu, quisquis eris, cui sint mortalia curæ,
Contemplare breves pompas, perituraque regna,
Infelix! et res tecum meditare caducas.
Hic veteres inter tumulos, dilapsaque fana
Roma jacet; frustra deserti in littoris ora
Errabis, magnamque petes Carthaginis umbram.
Una urbes, odiumque, silent; quis in arma vocabit
Scipiadam, aut belli jactantem fulmina Pœnum?
Forsitan et fractis super illacrymere tropæis
Et tristi accumules dono: 'Quibus exul in oris
Umbra, gemis, sedesque et non tua littora servas?
Atqui non patrii ritus, non flebilis olim
Bellatorum ordo, lacrymæque et vota tuorum,
Composuere senem tumulo, cœloque dedere,
Pœne, Deum; non solénni Victoria pompa
Signat humum, sanctamque irrorat fletibus urnam;
At decussus honor, mixtoque Infamia luctu,
Eripuere diem; at Romani sanguinis ultor,
Regnorumque potens, tremefactique arbiter ævi,

Annulus; Ausoniis caput execrabile Diris
Ille dedit, scelerumque ultricibus abstulit undis.
Scilicet hic rerum finis; quid inania questu
Projicimus verba, aut tristi indulgemus amori?
Hic Virtus, Nomenque jacent; nil sanguine tellus,
Pinguis et armorum sonitu perterritus orbis,
Nil reliqui fecere—brevi Deus omnia claudit
Limite, præteritisque æquat præsentia fatum.'

F. CURZON,

1822. COLL. ÆN. NAS.

ARS GEOLOGICA.

Terrai leges, cæcisque adamantina venis
Viscera, et arcanos ductus, quæ vincula mundum
Surda tenent, novat ut priscum Natura vigorem,
Sæclorumque vices, Elementorumque tumultus
Fas sit rite loqui. Tuque o, Vox Dia Creatrix,
Sancta Anima, omniparens, quæ rerum fusa per artus
Insinuas tacitum numen, des orbe sub alto,
Conscia per saxa et glebæ sine sole latebras,
Indagare viam, et dubiâ vestigia nocte.
  Nam neque non brutis per subterranea regnis
Abdita inest virtus, mole et concordia inerti
Præsentem confessa Deum: nec credere quimus
Corpora tot casu glomerari induta figuras
Turmatim ipsa suas; sed cunctis una manet Lex

Subter in immensum præceps, qua mersa veterno
Fundamenta soli, et fracti cunabula mundi,
Ordo ingens: Sursùm liquidas testata ruinas
Congeries, varias vegeto se numine fœta
Induit in formas, renovatque æterna juventam.
Principio, in gremio terraï funditus imo
Rerum elementa jacent, primævo immista cubili;
Cernere erit nunc planitiem procurrere in æquam,
Strata super stratis; nunc vertice rupta supino
Efferri sursùm (quâ vi, quâ lege revulsa
Scire nefas). Curâ intereà scrutere sagaci
Radices saxi; juvet antris ire sub altis,
Aut ubi sub clivo, aut sicco torrentis in alveo
Sæpe loci Genius fido sese omine prodat,
Secretosque Lares: solidis ibi marmora venis
Ponderibus digesta suis; quin ordine rupto
Alternasque vices subeant, et non sua jungant
Fœdera. Terrarum ima jacet solidissima moles,
Mista genus; ternas sese in primordia partes
Distrahit, hæc cognata vitro magis, illa metallo,
Altera vena rigens granis; hæc obvia cœlis
Solvitur, illa manet; stat adeso fragmine rupes,

Nudus apex; sæpe Alpinâ disjecta procellâ
Volvitur arce tonans,—glacialia regna resultant,—
Et supplex infra Rhodanus tremit,—advena longe
Vulsum adamantæum stupet atro turbine montem.
Inde locos sortita tenent; crystallina massa,
Atque Argilaï in nitido Potosia nido
Vena, metallorum locuples, et Iaspidos Iris
Versicolore gravis nimbo, viridique Syene
Pondere iners, et marmoreo vicina cubili
Lamina, montano quo gaudes, Stiria, fœtu,
Calcis, et Ætnæi vis ignea Porphyritæ:
Latè ferrea lex, saxorum durior ordo.

His animadversis glebarum pondera sursum
Spectanda, ut cæco coiêre in fœdera ductu
Naturæ plena exuviis: Calcaria moles;
Cognata et Gypsi species, se prodere formis
Visa novis, lusuque rudi levis ire sub antris
Arboreas fibras vitreamve imitata pruinam,
Pulchrum opus! hinc et Niliaci proles Alabastri
Lævis Onyx: Marga hìc dives tumet uberis, illic
Vallis amans Creta, aut sterili ferrugina arenâ
Glarea; sopito torpet gravis igne Pyrites,

At mistis subit æstus aquis, medicasque repente
Addit opes: fictâ cælat rudis arte Basaltes
Prismata. Continuò rerum consurgit imago
Splendidior, videor vitreas errare per aulas,
Marmoreasque trabes, laqueataque Naturaï.—
Antra manu: hinc vivis se tollit fulta columnis
Staffa, Caledonio sedes Nereïa ponto,
Orta mari; fundit se, arridens conscia, circum
Marmora marmoribus super, et picto induit auro,
Horrendùm formosa! Salis cur atria dicam
Carpathia? en, penitus crystallina regna patescunt,
Stellantesque domus! At non ubi, pabula flammæ,
Angligenûm gazas terraï balteus ingens
Sulphureo tenet amplexu; stant Tartara late
Carbonum domus atra, et templa informia Noctis.
Quinetiam sensim labor impendendus, ut alto
Terra sinu, omniparens eadēm et commune sepulcrum,
Reliquias rerum tenet; exuviasque natantûm
Concretas candente Paro, longoque veterno
Arboreos fœtus: seu miro carcere formas
Succinus implicuit, contexens saxea circum
Vinc'la, liquor; dubiis sive ossa informia membris

Mersa situ, ambiguæ proles, partusque biformes.
Arguet ossea pars, concordi et glutine fibra
Cognatum genus, atque alio sub sole Penates,
Fida notis. Veteri in lucem se prodidit antro
Prædarum omnigenûm illuvies, faucesque luporum,
Auspiciis, Rhedecyna, tuis: Tuque impiger ausis
Perge sacris, gentis doctæ dignata curuli,
Scrutari per regna Deum! Mens æmula sensim
Pascitur insatiata ausis, gaudetque repostas
Ire per excubias Lemurum, Lethique latebras,
Sæclorum tumulos. O quis legat orbe sub alto
Ætatis tacitæ vestigia! nam neque fœtus
Nequicquam informes naturam posse putemus
Effinxisse sinu, aut vano conchylia lusu
Montibus egessisse altis; sed cuncta Parentum
Supplicia, et Vatem testantur rite locutum
Plena Deo; ut cœli sese explicuere fenestræ,
Et Claustris unda erumpens ruit, omnia late
Effuso volvens pelago, latebrisque recedens
Obruit exitiale suis, vivoque sepulcro.
Ultra scire nefas—Chaos et Nox invia suprà
Mundi ortus: dicant alii primordia rerum

Dædala, et Elysium decus, et liquido igne volutum
Orbe alio hunc orbem nasci; mortale tremiscens
In sese fugit ingenium; nec vinc'la catenæ
Complecti datur, à solio suspensa Supremi
Quæ mundum ligat, et socio tenet omnia nexu.
  Quin liquidos ortus testatur terra globata
In sphæram: fluidâ in medium vertigine cuncta
Eniti graviora, undatim liquida saxa
Volvier ingenito consensu, et quærere sedes
Quæque suas; Chaos ætheriâ super incubat alâ
Vitalis sacra vis Animæ; novus emicat orbis:
Ah! fatis natus gravioribus, et brevis ævi!
Heu, scelera, et læsi ira Dei! sera audiit ætas,
Et tremuit. Viden' ut cursum testentur aquaï
Ardua terrarum, moles ut rupta vicissim
Objectent, retrahant, in seque alterna recedant.
Contemplator item, procul Eurum vorsus et Austrum
Leniter inclinant latera; in præcepsque residunt
In Zephyrum et Borean, nudâ et super incumbentûm
Congerie scopulorum horrent: nam credere par est
Oceanum effusum duplici devolvier æstu,
Terrarumque gravem spoliis hunc tendere in Austri

Hospitium undarum, sensim illum sidere in ortûs
Luxuriem camporum, et Serum mollia regna.
Hinc varium enituit mundi decus. O quis in arcem
Tollet me ætheream, dorsove imponet Olympi,
Verticis Alpini aut speculâ, vel quà pater Andes
Despicit a solio terrarum regna nivali,
Fluminaque, sylvasque, et valles, et procul ingens
Jungere se visum cœlis mare! Baltea longè
Volvuntur montana, et secum immania nectunt
Vincula: Nonne vides vastâ ut dominentur in Arcto
Uralii montes? iidem per Caspia regna
Caucaseas jungunt rupes, bifidumque cacumen
Armeniæ; Codanique sinum, et Norvegia supra
Limina Hyperboreo properant se immergere ponto.
Necnon et cœlo capita immortale ferentes
(Nimborum Chaos, et sæc'lorum oblivia circum)
Alpini fratres, inter se ingentia visi
Brachia, cognatæ in Pyrenes culmina, et ultra
Tendere Atlantæas cautes: Pater Apenninus
Ipse gigantæo cœtu se immiscet, et igneî
Trinacriæ colles
O vastâ mole tumentes

(Qua tempestatum latebræ, tonitrûsque cubile)
Naturaï arces! vos sub penetralibus ortus
Lympharumque domos premitis, cunabula Platæ,
Et thalamos, Oronooka, tuos. Quæ jugis aquæ vis
Abdita Amazonios haustus, Volgæque ruentis
Exsaturet desiderium, fontesve perennes
Oceani? Fertur liquidam decrescere molem,
Inde novas nasci terras, se tollere montes
Æquore, cedentem mirari littora pontum.
Continuò glebas glomerari à monte volutâ
Fluviorum illuvie, sensim Nilotica Delta
Surgere, et Ioniâ sedes Acheloides undâ.
Hactenus alma suo Natura operata tenore;
At nunc infidi versi in materna ministri
Viscera, et effrænæ se fracto fœdere vires
Pandere: pulveream ut Libyæ rotet aura columnam,
Funereoque globo premat urbes; agmen aquarum
Ut ruat objicibus ruptis; trahit unda Sicambros,
Montanoque Deam fano. Quid dira furentûm
Dicam iras ventorum, et Averni turbinis alam?
Aret humus, sitiunt herbæ, attonitus silet æther,
Infandum! fontes turbari, et longa moveri

Æquora: continuò in diræ præludia pugnæ
Elicium procul ire Jovem, et Borealia passim
Lumina per tacitos delabi conscia cœlos:
Mussat Terra metu: subitò ruere ætheriâ Nox
Nube sedens, mugire solum, obluctata reniti
Triste gemens Natura, procul montana rotari
Fragmina; direptas urbes, eversaque regna
Attonitus stupet Euphrates, Libanum arce revulsum,
Commistum mare cœlo, et hiantem in prœlia Avernum.
Quis tantum expediat quæ sese vis agat intus
In motum? fluido aut virtus Electrica tendens
Impete, lapsa polis, tonitrali et fœta procellâ,
Turbineo terras tractu quatit: aut magis, altis
Visceribus terraï et operto sulphure pasta
Volvitur ignea vis; cæco et congressa cubili
Per superimpositam cognata in nubila molem
Fertur, agens tonitru: cladem hinc meditata quievit
Lisboam solitos cohibens gravis Ætna furores,
Dirum omen: tamen antra operaria Naturaï
Quis subeat, caput Heclæum, fontemque Vesevi
Dicat, et ignivomas passim per littora fauces?
Forsitan in latebras sese inferat oceani vis
Liquida; mox Phlegethontæo concurrere in æstum

Sulphura anhela globo, superas scandentia in oras
Per nubes pasci attonitas, et lambere cœlos.
Hinc gravis æquoreis se quondam Thera caminis
Convulso tulit atra mari: procul imbre corusco
Byzantî caput aërium, Smyrna alta relucet,
Et rutilis Sigea vadis freta.
Nempe per omne
Diditur, et liquido subtilis flamma meatu
Per maria, ac terras, cœli et tonitralia templa
Inspirat genialem animam, et delapsa supernè
Interfusa replet vitali numine molem.
O domus æterni Artificis, formosa ruinis,
Exitioque ingens! ut adhuc per sæc'la renascens
Induis indefessa decus, bibis et jubar aureum
Ætheris! At subit hora, ubi rerum hic dædalus ordo
Solvetur flammis, cum concurrentia cæco
Marte ruent elementa, et claustris undique ruptis,
In vastam exsilient incendia viva ruinam,
Naturæque rogo se involvet machina mundi.

J. WILLIAMS,

1823. E Coll. Trin.

BABYLON.

Desine, turrigero exultans propè flumina fastu
Quæ caput Imperii, et rerum regina sedebas,
Effrænes jactare minas—audisne rebelles
Eminus armari populos, orbemque moveri
Conjuratum odiis? In te procul agmina vindex
Præcipitat stipata jugis—ensemque coruscat
Fulmineum, galeæque jubas, arcumque sonantem.
Scripsit in æternis, verbum inviolabile, fastis,
Assyriæ Deus excidium—glomeratque cohortes,
Non fluvio aut claustris valvarum arcendus ahenis.
  Talia venturi vates portenta ciebant,
Fœta gravi exitio, et Solymæ lugentis iniquas
Mutatura vices; sacroque exercita plectro
Ipsa suos numeros lyra formidabat, ut iram,

Ultricesque Dei turmas, immane ruinæ
Intentaret onus, fatisque horreret acerbis.
Ergo truces animos Aquilo, feraliaque antris
Arma vomit, cursuque ad classica fundit anhelo
Indorumque duces, nudosque in vulnera Bactros,
Caucasiæ quot alunt cautes, quos torvus Araxes
Semiferos horret vultus, seu claustra refrænent
Caspia, seu gelidis palantem Hyrcania sylvis
Cædis inexpletam sobolem, densatur ab alto
Tempestas, Lydisque ruens decorata tropæis
Media falciferos rotat atro turbine currus,
Densa pharetratis humeris—fremituque tubarum
Persa renidentes accendit in arma tiaras.
Obsessamne domum sceptri, et circumsona castris
Mœnia, tot dominata plagis—tot onusta rapinis,
Sperasti, Regina, feros exciret ut hostes
Raptor ad Auroræ solium—pavidusque videret
Hesper in occiduos nutantem cassida fluctus?
Quid tibi Erythræo quodcunque alliditur æstu,
Quid nemora Æthiopum violasse, calentia regna
Memnonis, aut Scythici glacialia jugera campi
Profuit, Indigenasque nives, ubi debilis Austri

Mollis Hyperboreis obtunditur ala procellis?
  Sceptrigeras atavorum umbras, et templa soporis
Concutit armorum fragor, atque infamia belli
Per tacitos audita toros; quin flebile visum
Marmor, et è rigidis mirùm pallere feretris
Præscia pompa mali, et regum venerabilis ordo.
Lapsuram Babylona dolens, agitator equorum
Incedit, generisque Parens—non ille ferarum
Venatu, nemorumve insons Dominator in umbris.
Astat et imperium, et vasti miracula valli,
(Misit Amazonio quàm dura Philistia ritu)
Auspiciis meditata novis—ut terra jubentem
Audiit, et largo fossas diduxit hiatu,
Regalesque tulit thalamos, instantia cœlo
Templa—sonant rutilis centum bipatentia valvis
Limina, et invicto muri tutamina ductu.
Quid domitum loquar Euphratem, fluctusque revinctos,
Aut circum ductos longis erroribus amnes
Bellorumque moras? Non illa experta timores
Fœmineos—seu castra trahens se offunderet Arcto,
Obvia seu radiis furiali equitaret Eois
Bellatrix comitata manu—quum signa, furoremque

Indus ab oppositis medio concurrere regnis
Vortice, collisamque Asiam, gladiosque refractos
Vidit, et occultâ tremefactus inhorruit urnâ.
  Major abhinc bellorum ordo, sceptrumque renascens
Assyriamque super, passumque incendia Tigrin
Immites aperire plagas, ad utrumque reductas
Distinet oceanum quas longi tramitis æquor,
Sive per auriferos amnes diffundat ab ortu
Sol jubar, aut Chalybum scopulos, Phasimque supremo
Purpuret aspectu, pictisque aviaria plumis.
Audiit e solio lituos, fractumque canorem
Taurus, et illiso castella minantia Ponto,
Sarmaticis juga pulsa choris—audivit Orontes
Dejectasque domos, fruticetaque rapta Damasci.
Pulvereoque diem tractu miscerier, arcûs
Tortor Idumæi, et trepidis tentoria velis
Eminùs agnoscunt Arabum—te Victor adibit
Oceani regina Tyros—fructràque marino
Vallaris fremitu, et socios accingere fluctus.
Quin super Ægypti segetes, et Osiridis arva,
Luctus ad æternos, Nili incunabula, nimbos
Personat, incestata sacris neque turribus ignem

Dia Sionæi prohibent munimina saxi,
Ultor ut obsessæ quondam è cœlestibus urbi
Affuit excubiis, nulloque emissa juventus
Vulnere in Assyriis extructa cadavera castris
Vidit, et ante tubas abrupti frigora lethi.
Illius haud unquam immemores dulcedinis oræ
Aspicit Euphrates, agmen servile, tribules
Flere, simul flentes circùm pendere salictas,
Neglectamque lyram—neque enim cecinisse juvaret
Captivam invalidos, hosti ludibria, luctus,
Lætior ut patrii modulamina condidit hymni,
Aut Siloæ ad fontes, aut dulcem Ardenidos undam.
Siccine sacrilegos agitabit inulta triumphos
Urbs operata sacris—pubemque educet ovantem?
Seu vaga, palmiferis distincta palatia sylvis
Margine marmareo lambens ubi, fonte nivali
Agmina ab Armenio fluvius devolvit aquarum
Sancta cohors, dominique ferens insignia Beli
Descendat cymbarum ordo—totumque retortis
Flumen inardescat remis; trepidove resultent
Mœnia circuitu, et gravibus via pulsa quadrigis,
Lætenturque novis diffundere serta corollis

Virginei calcanda chori—dum festa sonorem
Tympana, dum Phario miscet tuba dissona sistro.
Te pia, te tremulis pubes veneratur acerris,
Quem celebrat clamore dies matura, salutant
Culmina quem liquido per sera crepuscula cantu
Cæruleis immista plagis—Tua divitis aræ
Thuriferis Nabathæus alit dispendia donis;
Nempe per igniferos aperire innubila campos
Sidera, fatalemque poli struxisse tenorem
Crederis, æternasque vices, immania mundi
Fœdera, et æthereum deducere carmen ad aures.
  Non tamen infenso pandens præsagia vultu
Fulmen, et adversis audit bellantia signis
Sidera, sollicitove metus suspirat ab antro
Nox tacitis suspensa rotis—siluere tumultus,
Exanimique inter platanos cadit aura susurro.
Ast ubi Sidonio paries incenditur ostro,
Et seris bacchata epulis laquearia voces
Ingeminant, plenoque bibit deliria luxu,
Purpureis conviva toris—ibi nuncia luctûs,
(Astitit ut pavidæ quondam inter somnia noctis,
Regalesque dedit temerandos imbre capillos

Exulis,) en tacitis equitans formidinis alis
Astat, et offusæ trepidant pallore lucernæ.
Carminaque horrescens rex interrupta lyrarum,
Exsanguesque inter vultus cessantia in aulis
Orgia, flammantem manifesto numine dextram,
Ultima direpti, radiante in parjete, regni,
Omina suspexit, labrisque infecta profanis
Pocula dejecit, mediosque expalluit haustus.
Continuò insolitas sentit correptus habenas
Fluminis abrupti furor, et patefacta retractis
Stagna vadis. I, præcipites effunde maniplos,
Cyre, tibi refugo præpandit hiantia fluctu
Antra Deus, nulloque fores custode relaxat,
Terror et obtutu convivæ obrepit inerti,
Discussitque dapes. It amari mœnia fletûs
Audirique pedum mixto fuga crebra ululatu,
Dum paterasque inter, roseisque sedilia peplis,
Tela micant, strictoque furens stat acinace Medus,
Et tonat armisono Persarum exercitus alveo
Jam propiùs—celeresque hortantur cymbala turmas,
Inque vadis luctantur equi, pulsuque rotarum
Caligo gemit attonita, et cava littora plangunt.

Longè ergo Armenii saltus, Libanique cacumen
Accipiet sonitumque, nigramque rubescere noctem,
Cedriferi et sævo nemoris gaudentia nutu
Murmura; nec solitos ultrà prohibebit ab aris
Isacidum gressus, purove piamina cultu,
Non solio, spoliisve Asiæ decoranda, cruento
Urbs labefacta rogo, et vacuæ bacchantibus aulæ.
At tu sceptra Deus qui das, adimisque, vicesque
Regnorum molire, potens inducere terris
Gaudia desertis, lætantem aspergine vallem
Insolito per tesqua jubens florescere risu;
Nocte vel invectus nebularum, auriga procellæ
Ire domos blandi sceleris, soliumque tyranni
Dejectum, turpique situ mersare sepulchri;
En jussu Babylona tuo gravis umbra veterni
Æterno premit obsidio; tantùm ardea fletu
Funereo exequias agitat, reparasse nec urbem
Profuit Æmathiæ magno Victricis alumno.
Forsan et invisis aliquis circumspicit oris
Littora, gazarum cumulos ubi nobilis unda
Obtulit (aeriis circum pendente columnis
Hortorum liquido tractu,) mirandaque templi

Fabrica, cœlestes thalami, claustrisque revulsis
Portarum sonor, et properantis turba duelli;
Nunc inter sterilem juncos vix submovet ulvam
Rivus, et obscuro stagnant vada languida flexu;
Nec super informes tumulos ardentis arenæ
Conscius errat Arabs, ita tristi excivit in æstu
Agmina morborum, et tactu loca vasta maligno
Circumsævit adhuc divinæ spiritus iræ.

ROB. GUL. MACKAY,

1824. E Coll. Æn. Nas.

INCENDIUM LONDINENSE

A.D. 1666.

Ergone vesanæ cædis, scelerumque priorum
Sic tandèm immemores, instaurato ordine rerum
Gaudetis, Britones, neque adhùc lustrare furores
Pollutasque manus, atque impia vulnera curæ?
Quid, licèt in pacem coeat, festasque per urbes
Instituat gens læta epulas, patriique cruoris
Præteriens pœnas, et non placabile funus,
Hauriat appositis Rex cæca oblivia mensis;—
At brevis illa quies—brevis indulgentia fati
Arridet, fatuosque tenet lux ultima sensus.
Dementes! non ista monent portenta rubenti

Jam totiès conspecta polo, non lurida terrent
Prodigia, ut sitiens arescit fluctibus amnis,
Ut strepitu cœlum omne sonat, vastoque tumultu
Percita quassato trepidat fundamine tellus!
Dementes! ruit ira Dei, nunc flammea torquet
Fulmina, nunc tristes confuso in turbine nimbos
Immittit, ventique equitans ultricibus alis
Lethificamque luem, morborumque agmina miscet.
Qui gemitus, quisve iste dolor? Non carmina fausto
Incendunt clamore vias, non orgia luxûs,
At Stygiæ lamenta domûs, at flebile murmur
Æris, ubi tacitis projecta cadavera vicis
Deposcit plaustro ac vastis mandanda lacunis.
Vix strages cessare hominum, vix improba circum
Per trepidos minùs atque minùs baccharier agros
Funera, quum tantis nequicquàm exterritâ monstris
Urbs festos celebrare dies, celebrare choreas
Instituit, fusique inter spumantia vini
Pocula, inauditum scelus, et nova crimina tentat.
Qualis ubi venti cecidit fragor, ira resedit
Turbinis, et vitreo posuêrunt marmore fluctus,
Navita præteritas hyemes, ventumque furentem

Nil reputat, Zephyrisque tument dum vela secundis
Indulget Genio, et sopitos sternitur artus.
Nox cœlo tenebrosa ruit, Thamesisque per undas
Nautarum tacuit clamor, vix Luna malignos
Deficiens radios, placidi per flumina rivi
Cæsareas turres, longa et navalia lustrat.
Quis tamen hic fulgor? Superas ceu lapsa per auras
Stella ruat, quatiatque feros per nubila crines;
Nunc abiit, nunc ecce rubet, nova lumina surgunt
Adversâ de parte, velut quum pabula flammis
Arida, prospiciens custos data signa, ministrat,
Attollitque faces prærupti in culmine montis,
Protinùs agnoscunt socii, juga proxima lucent,
Ignibus arva micant, omnisque accenditur æther.
Continuò horrendo misceri terra tumultu,
Infausti audiri strepitus, crebrique ululatus,
Clamoremque referre polus, dum mœnia passim
Intremere aspicias, totamque e sedibus imis
Quadrupedante pedum pulsu quassarier urbem.
Interea lentum sinuoso vortice fumum,
Involvitque atris radiantia fulgura nimbis
Vulcanus, modò summa furens tabulata per ædis

Ingreditur, crepitantque trabes, et saxea candent
Pondera, convulsæque domûs latera ardua nutant—
Et modò præcipiti casu, lapidesque columnasque
Horrendo traxêre sono, loca lata fragorem
Ingeminant, augentque metus—exterrita circum
Turba videt rutilas hinc, indè, incedere flammas.
Pestis edax sine lege ruit, jamque impete cæco
Concita, murorum moles, et limina regum,
Turritasque arces, templorumque atria vasto
Dat latè exitio, nec dum satiata ruinis
Gaudet inexhausto miscere incendia fluctu.
Quis cladem istius, quis tanta pericula noctis
Explicet, aut portenta canat, quo funditùs æstu
Incaluit, tremuitque solum, quo torridus æther
Erubuit, subtèrque ferunt in fontibus imos
Exultâsse sono, spumisque tumentibus amnes.
Nubila tum piceo quisquam glomerantia circum
Turbine, flammarumque globos, liquefactaque plumbi
Flumina per latos cernens currentia vicos,
Crederet abruptis totam fornacibus Ætnam
Fervere, sic vastos cœlo immiscerier ignes,
Sic strepitu resonare agros, sic fœta ruinâ

Fulgura, et ardentem fundo eructare favillam.
  Attonitis perculsa animis ac fixa morantur
Agmina per plateas, nec tanto obsistere quisquam
Prodigio, diramve audet propellere pestem.
Tum vero in medias procumbunt mœnia flammas,
Procumbunt sacratæ ædes; ac numine verso
Templum, alti domus una Dei quæ mille per annos
Collectas nimborum iras, rabiemque procellæ
Pertulerat secura, imo fundamine moles
Ingens, ingentemque trahens prostrata ruinam
Præcipitat, summosque apices incendia velant.
  At pavidæ passìm matres per compita crines
Effusæ, et peplis quæ sors cuique obtigit artus
Vestitæ, implorare Deum, lacrymisque maritos,
Aut gravidos ætate senes, aut poscere natos.
Non alitèr quam si festo Trieterica Baccho
Orgia, Threiciis mediâ sub nocte cierent
Montibus, afflatæque Dei furialibus iris
Mænades Ismarium implerent ululatibus Hæmum.
  Quanti exauditi gemitus! Hic turba paternam
Visebant taciturna domum, priscosque Penates
(Heu! miserum!) mersos cinere et sordente favillâ

Lustrabant: amissam illic per rudera mater
Anxia quærebat sobolem, laceroque repertæ
Nigrantesque artus, suprema in dona, fideli
Rorabat lacrymâ, ac gelidis dabat oscula labris.

Flammivomos ter Solis equos Aurora coruscis
Curribus addiderat, totumque accenderat orbem,
Sustulerat ter Luna faces, ubì prima salutis
Spes data Tartareas dispellere luce tenebras
Incipit, erigiturque animus, curæque residunt.

Quos ibi tum sensus, quæ non suspiria tristi
Pectore ducebat, tacitas quicumque pererrans
Desertasque, Augusta, vias, fumantia tecta,
Et vix sopitas inter loca fervida flammas
Spectabat—Quanquàm hostis habet nullo agmine muros,
Captivamve tenet positis custodibus arcem,
Prorueris, mœstoque jacent confusa tumultu
Regnorum decora ac multi miracula sæcli.

Heu! miseros casus! Quas non fecisse ruinas
Æternum Gallorum odium, non classis Iberi
Terribilis, motumve agitans in prœlia civem
Seditio poterat, neglecti injuria cœli
Miscuit, atque imo vindex ruit atria fundo.

Siccinè collapsas, inter loca sola, columnas,
Eversasque domos, turpi et nigrantia fumo
Fragmina prospiciens, fati crudelia flebit
Vulnera, victricemque urbem cecidisse viator?
Siccinè post tales longùm dominata triumphos
Occideris, Augusta, tuarumque invida laudum
Mœnia Lethæis cingent oblivia pennis?
Heu! fœdum prohibete nefas; prohibete, Britanni,
Templa inter, tumulosque patrum insultantia pasci
Armenta, et lapsas squalorem obducere sedes!
Nonne iterùm capita alta polo nova mœnia tollent,
Non iterùm assurgent arces, iterùmque nitebunt
Fana suo decore ac priscis altaria donis?
Audin' ut insonuit cœlum! Quo mota tumultu
Clamorem ingeminat tellus, dum machina vastis
Molibus erigitur, stridensque ingentia librat
Pondera: sese omnis vario molimine pubes
Exercet certatìm instans, pars grandia saxi
Fragmina subvolvunt, pars nigra ac fumida tollunt
Rudera, signatisque locant fundamina muris.
Fervet opus: mox templa iterùm ducentia cœlo

Auratos fulgere apices, mox surgere turres,
Pinnatisque novæ solidari mœnibus arces.
Fluminis hinc cœptas radianti in margine moles
Atriaque, ac portus, ac jam spatiosa viarum
Strata, e cæruleo cernens, Thamesine, recessu
Miraris tua regna, pater, miraris honorem
Insolitum, lætusque vides quà sordida quondàm
Tecta casæ, luteamque domum, parvosque Penates
Incolere assueti cives, nunc grandia tolli
Limina, et ingenti decorata palatia fastu.
O! tanti monumenta mali præsentia sempèr
Pectore sub memori, saxoque perenniùs isto
Fata quod indicit venientibus aspera sæclis,
Admoneant gentes, ne postera corruat ætas
In vitium, similique luat commissa ruinâ.
Laudis amor, patriæque vetet:—Si mascula virtus,
Si qua valet pietas, nec frustra candida nostris
Mirantem ex adytis Libertas despicit orbem,
Florescas, Augusta, diu; Dum diruta circum
Sceptra cadunt, regnique fremit malesana cupido,
Dum conjurati reges, populique minaces

Servitium intendunt nobis, illæsa procellam
Ingruere aspicias, rerumque hominumque gubernans
Fortunas ac fata tuo volventia nutu,
Imperium terris, et famam nubibus æques.

EDVARDUS POWLETT BLUNT,

1825. E Coll. Cor. Chr.

MONTES PYRENÆI.

Gallorum campos inter vicinaque regna,
Europæ extremos ubi claudit Iberia fines,
Tollitur in montes isthmus: Stat ad æthera moles
Continua, et longâ speculum maris occupat umbrâ.
Illìc Herculeos olim (sic fertur) amores
Flevit nympha diù, prolemque, enixa draconem,
Horruit; hôc matris sunt condita membra sepulchro.
Ex illo celebratus honos, montesque vocati
[1] Pyrenes raptæ de nomine Pyrenæi.
At vos, Dii patrii indigetes, veneranda locorum
Relligio, et nemorum custos vaga virginis umbra,
Sit mihi, sit vestras sedes et inhospita regna
Pandere, et antiquos liceat penetrare recessus.

[1] Vide Sil. Ital. lib. 3, et Diod. Sic.

Aspice! Saxosis porrecti anfractibus instant
Montibus impositi montes; serieque jugorum
Dorsum immane tumet, centum sublime sub astra
Verticibus: medii dirimit confinia campi
Naturæ claustrum, scopuloso horrentia vallo
Mœnia; non aliter quàm si fera bella odiumque
Indigenis Deus Omnipotens vetet: illius ergo
Limitem inaccessum posuit vasto objice terris,
Saxorumque minas, turritasque addidit arces.

Ipsa etiam est species longè diversa locorum
Contemplanda: illinc tibi vix assurgit in æstus
Interni maris unda, et lævem acclinis ad oram
Pendentes placido ore refert in margine sylvas.
Hinc Atlantiaci vis irrequieta profundi
Assiduè fremit, et Biscoæ littora circum
Ingruit usque tumultu, insanaque murmura miscet.
Nec minùs et montis facies contraria fatis
[2] Fata ferunt variasque vices: quà Gallica regna

[2] To the south and west the Pyrenees present nothing but dreadful sterility; but on the north and east the descent is more gradual, and affords frequent woods and pastures. PINKERTON.

Prospicit, inque ortum et fines quà vergit Eoos,
Lenè cubat proclive solum, sylvæque coruscant
Naïadum Dryadumque domus; subit aura recessus
Mollior, et scatebris mulcet levis unda calorem.
Mille ibi desiliunt muscosis fontibus amnes,
Vallesque arrident, sparsisque intersita dumis
Pascua, velleribus niveum victura Galesum.
At fronte Hispanos torvâ, torvâ æquora ponti
Despicit occidui; prærupto hìc improba nutant
Saxa supercilio: [3] tantùm gravis imbribus æther
Ventorumque nocent iræ. Tum culmina summa
(Quà juga certatìm surgunt altissima, cautes
Evecta in medias, apicisque tricorporis arcem
Tergeminæ tollunt cognatâ e rupe Sorores [4])
Nix æterna tegit: crescit crescentibus annis,
Sæc'lorumque vices solemque intacta repellit.
Hìc solium sibi fixit Hyems; hìc illius arma,
Nimbique frigusque, hibernæ dura diëi,

[3] Vide Townshend.

[4] The three summits or peaks of Mont Perdu are called by the Spaniards "Las tres Sorellas," or The three Sisters. PINKERTON.

Spirantesque gelu Cauri: movet ipse procellas
Arce sedens, acuitque iras, stragesque ministrat.
Stat species horrenda loci: vastâ undique mole
Informes glacie scopulos, regna inscia vitæ,
Alternis nubes inter condi atque recondi
Aspicias: juxtàque lacûs inamabilis unda
Torpet, et effœti latè occupat ora barathri.

Nescio quid sancti trepidum cor tangit, ut ingens
Naturæ miratur opus; videt Omnipotentem
Artificis dextram, sibi qui sua pristina tollit
Delubra, et plenos præsenti numine montes.
Scilicet hìc nimbos inter (quum ferveret æther
Totus, et adversi ruerent in prœlia venti)
Imperium agnovit diæque tonitrua vocis
Monticola; ignotoque aras, immania saxa,
Ritè Deo posuit, templumque[5] coëgit in orbem.
His elapsus honos: alios, queîs faustior ætas,
Moresque et cultus vivâque sacraria rupe
Indixit Pietas; sed tantò purior illâ,
Gentibus affulsit quantò divinior ignis.

[5] "Houles." Vide Pinkerton and Townshend.

Hinc vigiles agit excubias, gaudetque morari
Relligio loca sola colens, ubi vespere sero,
Cœlo inhians, vana aversetur gaudia vitæ.
Nonne vides? Crucis effigies per iniqua viarum
Ut sese attollens scelus effusumque cruorem
Plurima testetur; [6]solvens se in vota viator
Sistit iter, metuensque eadem sibi fata susurros
Aerios tremit, occiduasque in frondibus umbras.
Nec tamen, externi species licet horrida montis,
Marmora visceribus desunt, et opima metallis
Vena; illìc auro thalamos gemmisque replevit
Thesaurum Natura suum. Quid vasta barathri,
Quid spelæa canam, et cæcos sine sole labores,
Tempore quo Pœnis Hispania subdita pondus
Præscriptum argenti lueret? Quid marmore clausas
Exuvias maris, et veteris vestigia mundi?
Quid, [7]lucos olim penitùs cùm vicerat ignis,

[6] She comes along the mountain side,
Now turning by the traveller's seat,
Now resting in the hermit's cave,
Now kneeling, when the pathways meet,
To the cross on the stranger's grave.—ROGERS.

[7] Vide Diod. Sic. lib. 3.

Auratum in campos rivum fluxisse, solique
Divitias latè rutilo se volvere cursu?
Jamque almas Aurora faces, cedentibus astris,
Extulit, et liquidis splendescunt æquora flammis:
Ilicet alta jugi, nive quæ spectanda coruscant,
Lumine se roseo tingunt; ast humida valles
Ala premit nebulæ, vix hinc vix inde per æthram
Piniferi colles apicesque vaporibus exstant,
Insulæ oceano in magno; dum clariùs ignes
Accendat, gelidasque fuget Sol ipse tenebras.
Qui tibi tum sensus? Quæ stanti in vertice visa,
Quot sese objectant mirâcla? Cacumina in altum
Horrendùm formosa minantur, hiantque profundè
Sub pedibus barathra, et ruptis latera invia saxis.
Non avium colles non carmine matutino
Pastorum resonant, sed frigore torpet ubique
Aura; silent cautes, nisi quà super ardua montis,
Attonitum turbans clangoribus æthera, vultur
Plangat iter pennâ, aut præceps tonet agmen aquaï.
Verùm,—ubi subridet devexa per æquora campi
Gallia, lætitiâque apricos induit agros,—

Villarum cultus segetesque et dædala veris
Munera prospicias: Bacchi juvat aurea regna
Mirari, ditesque hortos, queîs vitis obumbrat
Fronde torum, et facilis fovet indulgentia cœli.
Nec tamen has sedes feliciaque arva colonis
Monticola invidit, durum genus: ille per imbres
Tesqua per et fluvios ruit acer agrestibus armis,
Damasque insequitur capreasque, et sæpe per altum
Ferrato fertur conto sublimis; at infrà
Torrentis fremit unda, abruptave terra dehiscit.
Usque adeò patrii huic arctissima vincula nectit
Montis amor; tenet ille animum, vetat ille vagari,
Mille licèt mala vitam et mille perîcla fatigent.
Namque ibi sæpe, gelu labefacta aut fulmine, saxa
Aërias rupere arces; sæpe agmine facto
Nix glomerata ruit, stragemque agit antè metumque.
Audin'? fulmineo violentius intonat ictu
Effrænum chaos, et vesano pondere rupis
Ima quatit; sternit nemora, horrisonoque tumultu
Fertur in abruptum: credas fundamina mundi
Corruere excidio, vastisque avulsa columnis
Torqueri, et gravidam trahere ipsâ ex arce ruinam.

Sæpe etiam sub nocte agros fera turba luporum
Funeribus cumulant; sobolem premit anxia mater,
Et trepido fovet amplexu, dum dirà ululatus
Ingruit, hibernamque tremunt magalia pestem.
Vertitur intereà cœlum, solemque recondunt
Nubila; cuncta tacent, nec frondibus aura susurrat;
Mox densum mussare æther, silüæque recessus
Ingemere auditi; crepitat nemus imbre; procella
Incumbit; jam, jamque iterùm fragor intonat ingens:
Murmura concentu horribili tonitralia voces
Montanæ ingeminant; exultant læta tumultu
Culmina; conclamant rupes; vibrantque trisulcam
Fulgura rubra facem, et ruptos bacchantur in ignes.
Atquì non ideò tantùm movet ipsa locorum
Majestas, neque subjectæ regionis imago
Sola animum pascit, studioque affigit inani.
Mens stimulos agit ipsa suos. Stat in arce viator
Præteritos revocans annos, ævique peracti
Evolvens secum reputat monumenta, vicesque
Fortunasque virûm variasque ex ordine gentes.
Heu! nimiùm infelix Hispania, debita fatis
Ludibrio! clades ruptâ ex quo pace Sagunti

Fœdera turbavit, Divûmque ex omine Pœnus
([8] Iste malus serpens) per culmina Pyrenæa
Vi sibi vicit iter: septeno a vertice Roma
Audiît, insolitùmque metu tremuere Quirites!
Tuque, adeò externis semper jactata procellis,
Cæsareas sensisti acies; subière Suëvi,
Vandalicumque jugum, et Gothici furor impius ensis.
Aspice! barbaricum lunatis agmina signis
Diluvium immittunt. [9] Ah! terque quaterque sacratus,
Qui Mauros Arabasque (tui, Mahumeda, ministros
Imperii) legesque novas, nova sacra Deosque
Ignotos patriæ imponat! Sublimibus alis
Libertas fœdum fugit aversata triumphum,
Pyrenesque inter juga montanasque latebras,
[1] Tutela Europæ, proprias sibi vindicat arces:
Vindicat, æternùmque tenet. Labentibus annis,

[8] Vide Somnium Hannibalis. Liv. lib. 21.

[9] Count Julian.

When Cava's traitor sire first called the band,
That dyed thy mountain streams with Gothic gore, etc.
CHILDE HAROLD, Canto I.

[1] Vide Russel's Modern Europe, vol. i. Ferreras, vol. ii. and Mariana, vol. i.

Hos iterùm colles, quum justa efferveret ira,
Sanguine sacravit Dea fuso; hìc sceptra tyranni
Fregit, et immeritos jussit submittere fasces.
Scilicet et vindex gladiumque minasque reclusit,
Signaque bellorum longè dedit, ægida dextrâ
Concutiens: ciet ipsa animos, ciet ipsa furores,
[2] Fœmineumque accendit in ausa virilia pectus.
Jamque ergò regnorum ipso sub limine gentes
Oppositis miscent Pyrenes invia signis.
Illìc ante alias, decus et tutamen in armis,
Sanctum opus aggreditur, sociasque Britannia turmas
Jungit ovans,—sævos cohibere Britannia fastus
Docta tyrannorum, et trepido succurrere sæc'lo!
—Vos, Pyrenæi saltus, vos, culmina montis,
(Spectavistis enim, Angliacæ charissima Musæ
Nomina) vos, rupes, auctoque Bidassoa fluctu
Sanguineis volvens galeasque virosque sub undis,
Testor quid potuit virtus Hispana, quid ultrix
Pro patriâ pietas, testor quid vivida bello
Dextera, quid justo sociati in Marte Britanni!

[2] Maid of Saragoza.

At vos, illustres animæ nec fortia frustrà
Pectora, perpetuos queîs Fama instaurat honores,
Salvete æternùm! vobis pia patria laurụ
Miscuit illacrymans (heu! munera mœsta) cupressum.
Quid? licèt hìc tumulis humili de cespite busta
Membra tegant, sparsisve albescant ossibus agri?
Stant vobis per sæc'la aræ! Vos saxa nemusque,
Flumina vos montesque, Dei dignissima templa,
Virtutis testes simul et monumenta, loquuntur.

FRANCIS. KNYVETT LEIGHTON,

1826. E Coll. Magd.

MEXICA.

Longa est injuria, longæ
Ambages; sed summa sequar fastigia rerum.
VIRG. ÆN. i. 341.

IN geminos disjecta polos, ubi currit in unum
America, et longo media internectitur isthmo,
Sola[1], plagas inter vacuas, et barbara late
Sæcla hominum, quibus antra domus, silvæque profundæ,
Mexĭca florebat, studiisque ignobilis oti
Creverat, imperio pollens, atque arte recenti:
Fortunata nimis, si nulla procacibus unquam
Insultasset aquis vetiti ratis impia ponti;

[1] "All the Americans, except Mexicans and Peruvians, when first discovered, were in the state of savages." Rob. vol. i. 26.

Nullus Atlantiacos penetrasset navita fluctus!
Nequidquam: quoniam mortalia corda coegit,
Frænorum impatiens, atque aversata quietem,
Vis animi, stimulique acres; quoniam impulit auri
Importuna sitis, nec habendi explenda libido.
Ergo intentato non ætheris omina cursu
Audacem movere Virum[2], aut concussa rebelli
Cymba metu, mediisque sedens Discordia transtris;
Non malesuada Fames, et plurima mortis imago:
Nec præceps Aquilo, nec conjuratus euntem
Terruit Oceanus, quin claustra obstantia mundi
Rumperet, ignotisque lubens se traderet undis:
O! quanta exiguæ tum credita fata carinæ,
Regnorumque vices, divisique orbis origo!
Hinc olim spoliatus honos, hinc, Mexica, regni
Lapsa fluit Fortuna tui; quo tempore primum
Spectasti nitidis æquor candescere velis,
Littoraque Hispanas devota accedere classes:
Quas, cursu in medio, quam debuit Auster iniquis
Illisisse vadis, subitave egisse procella

[2] Virum, sc. Columbum.

Præcipites, scelerum vindex, et fraudis avaræ!
At rudis a patriis descendens incola silvis
Prodigium stupet, et subeuntes ostia nautas—
Qui fuerint; quæ vasta volans pernicibus alis[3]
Per fluctus tulerit moles; unde humida mundi
Mœnia transierint; aut quas via tendat in oras.
Talia, collecta stipantes littora turba,
Inter se rogitant; dum vasto pondere naves,
Dum dubios vultus, et plusquam humana[4] virorum
Corpora mirantur: Pavor exultantia pulsat
Pectora; et obtutu tacito circum omnia pendent;
Incerti Genios, ac numina magna locorum,
An maris immensi prolem, Solisne nepotes
Esse putent: tantum ore jubar; sic candida flamma
Membra nitent; tanti rutilis e crinibus ignes
Collucent: Quid non mortales improba suasit

[3] "The vast machines in which they had traversed the ocean seemed to them (the natives) to move upon the waters with wings." Rob. i. 129.

[4] "They (the natives) began to respect their new guests as a superior order of beings, and concluded that they were the children of the sun, who had descended to visit the earth." Rob. i. 129.

Religio? En! studiis, quæ cuique est copia, læti
Dona ferunt, totaque Deos venerantur arena;
Securusque adeo fati, Rex ipse benigno
Excipit hospitio, et largos instaurat honores.
Nec minus interea ignotas in littore formas,
Et fuscos æstu vultus, distinctaque plumis[5]
Cingula mirantur nautæ; mirantur ut auro
Resplendent pharetræ, crines nodantur in aurum,
"Et picturatas auri subtemine vestes."
Continuo læti properant exire, locosque
Explorare novos, faciemque ediscere terræ;
Qui populi mores, quo fertilis ubere campus.
Tum quanta attonitos sensus, atque ebria visu
Lumina percussit species!
Me nec minus ingens,
Terra, tui percussit amor, pulcherrima—valles

[5] Conf. Pope, Wind. For. v. 402. Gray, "feather-cinctured chiefs."—Rob. Hist. Am. ii. 266. "Cortes and his officers viewed with admiration the various manufactures of the country; cotton stuffs of such delicate texture as to resemble silk, pictures formed with feathers of different colours," etc etc.

Sic liceat peragrare tuas, sic ruris apricam
Pandere luxuriem—vere aurea prata perenni—
Montesque fluviosque sequi; dum Pieris una
Subter odoratis spargit vestigia sertis.
Namque olim Aonias te nescivisse sorores,
Te siluisse piget. Biferi quid gloria Pæsti,
Quid foret Eurotas, quid, quamvis pinguia Baccho,
Ismara, et injussas fundentia Gargara messes,
Mexica, si fueras, fuerant et si tibi Musæ?
Hic Venus Idaliam, hic Cynthum posuisset Apollo,
Hic oleam Pallas, Moriæque[6] umbracula silvæ,
Cecropiasque arces; hic fortunata fuissent
Tempe cum Satyris[7], et Nysigena Sileno.
Flumina quid referam, quibus ipse assurgeret, olim
Fluviorum rex, Eridanus, veloxque refusis
Cederet Ister aquis? tanto reboantia longe
Arva premunt pelago! sic auro et turbida gemmis
Certatim interfusa micant! dat euntibus ingens

[6] Vide Soph. Æd. Col. v. 704. (ed. Elm.) ὁ γὰρ αἰὲν ὁρῶν κύκλος λεύσσει νιν Μορίου Διὸς, χ' ἁ γλαυκῶπις Ἀθάνα. Brunck. Arist. Nub. 1005.

[7] Conf. Catull. Carm. lxiv. 253.

Silva locum, et ponto Tethys fugit ipsa retorto.
An memorem tantos, capita immortalia, montes,
Bruma, tuos thalamos? Sæclorum oblivia circum—
Infra anni solisque viæ—Nix incubat æternum
Arce sedens: non sic cœlo stetit ardua moles,
Quum Fratrum indefessa cohors involveret Ossam
Pelio, atque Ossæ vastum accumularet Olympum.
Quod superest, quicquid Saturnia regna beavit[8],
Quicquid et Elysias—vatum aurea somnia—valles,
Non vana hic specie, neque fictum induta colorem—
Omnia viva vides: ita prona hic largior urna
Fundit opes natura suas, majoraque rerum
Semina, præsentique tumentes numine formas.
Tum paribus, si vera fides, gens ipsa vigebat
Ingeniis; quibus unde vetus defluxit origo,
Scire nefas[9]; quanquam vitæ sincera voluptas,

[8] "That state of primæval simplicity, which was known in our continent only by the fanciful descriptions of the poets, really existed in the other." Rob. Am.

[9] After bringing forward the various conjectures upon this subject, Robertson gives it as his opinion, that Mexico was originally peopled by tribes who descended from the NORTH, having most probably crossed over from Asia, by what is now called "Bhering's Straits."

Et sine labe dies, et morum gratia simplex,
Prodit Hyperboream[1] stirpem, generisque parentes.
Hinc non ulla animos delibat cura quietos;
Nec poterat quemquam obsceni pellacia nummi
Decipere in fraudem, quamvis male prodiga tellus
Larga auro flueret, gazaque in damna reposta.
O! qui me rapiat, qua formosissima Vallis[2]
Panditur, et centum gremio complectitur urbes;
Ipsa, velut Nymphas inter Dictynna sorores,
In medio, longe ante alias spectanda, locorum
Regina[3] erigitur, quam circumfusa coercet
Vasti zona lacus; hinc propugnacula bello;

[1] Hyperboream. De Hyperborea felicitate vide Æsch. Choeph. 367.

ταῦτα μὲν, ὦ παῖ, κρείσσονα χρυσοῦ,
μεγάλης δὲ τύχης καὶ Ὑπερβορέου
μείζονα φωνεῖς.

Pompon. Mel. iii. 5. "Diutius quam ulli mortalium et beatius vivunt." Pind. Pyth. x. 57. Olymp. iii. et ibid. Schol.

[2] Vallis. The vale of Mexico, containing forty cities.

[3] Regina. "Mexico, the capital of the empire, situate in the middle of a spacious lake, was the noblest monument of American industry." Guthrie, p. 833.

Hinc[4] pacis decus: En! fluitantes æquore silvæ,
Sparsaque per vitreas passim viridaria lymphas!
En! foliorum umbra, et simulatis picta rosetis
Pullulat undarum facies, ubi dædala subter
Scena natat! pendent alni, tremulisque salicta
Frondibus, inversæque relucet purpura vitis.
At circum innumeræ volucres[5], exilia sæcla,
Exultim canere, et vario trepidare volatu,
Deliciæ nemorum; dum versicoloribus alis
Fluctuat, et tenui cœlum strepit omne susurro;
Seu rostris summos examina devia flores,
More apium, libant, sive irrequieta per auras
Ludunt, melle mero mentes percussa tenellas.
Hei mihi! Naturæ quoniam purissima templa
Incesti violant homines, manibusque cruentis
Effigiem Divæ, et sacrata altaria fœdant!
Hei mihi! quod valles, choreis et amoribus aptæ,
Miscentur Belli Furiis; nemorumque piorum

[4] This alludes to the floating gardens which abounded in the lake, and which the Mexicans constructed of a very extraordinary size.

[5] Humming birds.

Cara pudicitiæ, castisque crepuscula Nymphis,
Armorum fragor, et matrum lamenta fatigant!
At tibi pro scelere immani, pro talibus ausis,
Numina mercedem meritam, Dux[6] improbe, solvant,
Et dignas glomerent iras, si dia quid usquam est
Justitia, et cœli rector mortalia curat;
Irrita nec rutila molitur fulmina dextra!
Per libertatis cineres, et fortia frustra
Pectora, per Terræ lacrymas non digna ferentis,
Fas caput in pœnas damnatum exposcere; Iberum
Fas cæcum scelus, et turpes[7] odisse triumphos.
Jam vero, fraudis tantæ gens inscia, tectis
Excepit sociis ultro, fremituque per urbem
Prosequitur, jungitque manus, dapibusque paratis
Convivas adhibet: juvat, inter pocula, pictis
Ostentare patrum famamque et fata tabellis[8].

[6] Cortes.

[7] "In Mexico the progress of the Spanish arms is marked with blood, and with deeds so atrocious as disgrace the enterprising valour that conducted them to success." Rob. vol. iii. 90.

[8] The hieroglyphical paintings of the Mexicans are well known to have been the only historical records which they possessed.

Ast illi interea, meritis pro talibus, atras
Insidias clademque parant, et sanguine sacrum
Polluere hospitium, et pacem miscere duello.
Dignum quinetiam tali fuit hospite sævis
Regem[9] ipsum tentare dolis. Proh! prodiga culpæ
Pectora, inauditumque nefas! Rex ipse, suorum
Proditor, in fraudes discet jurare, patique
Ereptos ultro fasces, vitamque coactus
Indecorem patriæ pro libertate pacisci?
Scilicet haud satis est tenebris et carcere clauso
Grandævum fœdare caput, canisque capillis
Sparsum humerum, et dura collum incurvare catena.
Nunc, imploranti similis, vaga lumina tollit
Cum gemitu; Virtus nunc indignata, Pudorque
Præcipites redeunt, animique in utrumque parati,
Aut patriam servare, aut non superesse cadenti.
Jam tandem Hispanas peritura expalluit artes
Mexica, et in mediis agnovit mœnibus hostem:

[9] The manner in which Cortes seized Montezuma in his own palace, and endeavoured to make him the instrument for the subjugation of his own people, is here alluded to.

Nec mora; Terrori cædes immittit habenas,
Et Belli furor, et gemitus, tractæque catenæ
Audiri: Quid prisca fides, quid nescia falsi
Vita juvat? Fatis frustra certamen iniquis
Pars movet, ignotæque lacessit fulmina pugnæ,
Pro patria moriens. Miseri quos aurea nunquam
Excipiet Solis domus[1], et promissa piorum
Concilia heroum: Frustra pars tendit amorem
Cum prece, jurataque cadit cruor hospitis ara.
Sicut ubi ingratas hederas amplexibus ilex
Excipit, et fida foliorum protegit umbra,
Illæ arctos furtim sinuant in cortice nodos,
Et truncum rigido morsu pascuntur; at ipsa
Serius heu! ramis ereptos mœret honores,
Languentesque comas, siccataque brachia succo.
Atqui non adeo tantas impune per urbem
Edebant strages; neque sic sine vindice cessit
Mexica. Vos, aræ[2], vos, orgia lurida, testor,

[1] The Mexicans believed that soldiers who died in battle went to the house of the sun to lead a life of delight.

[2] "Every captive taken in battle was brought to the

Humanasque epulas, votivo ubi sanguine sævi
Templa fluunt nocturna Dei[3], vivâque calescit
Cæde pavimentum, atque inimicis ossibus albet.
At procul interea, lunæ sub luce, suorum
Ora, catenatumque agnoscit Cantaber agmen[4];
Nec longe rutilare pyram, cultrosque parari,
Cincturasque videt captorum tempora vittas;
Tum festam institui pompam, rutilasque choreis
Collucere faces; gemitusque audisse suorum
Dicitur, ut, manibus junctis altaria circum,
In sua vix trepido præludunt funera gressu[5].

temple, was devoted as a victim to the Deity, with rites no less solemn than cruel." Rob. vol. iii. p. 335.—"After which the warrior, by whose prowess the prisoner had been seized, feasted on the body." Ib.

[3] Dei. Mexitli, from whom the country is said to have been named.

[4] "He (Cortes) heard the piteous lamentations of his soldiers, whom the Mexicans having taken alive, were sacrificing in triumph to the god of war." Rob. vol. iii. p. 30. These sanguinary rites always took place in the night.

[5] They were made to dance round the altars in honour of the god to whom they were about to be sacrificed.

Sic demum cecidit, multos dominata per annos,
Mexica, et imperiis ingloria cessit Iberis,
Externique jugo domini: fugit omnis ab ora
Exsul honos; subeunt fraudes, et avara libido:
Sicut[6] ubi sævo succiditur hortus aratro,
Purpurei intereunt flores, at mœsta cicuta
Nascitur, et steriles campo dominantur avenæ.
Heu! nimium infelix, sua cui ditissima tellus
Exitio fuit! Ipsa eadem prægnantia leto
Viscera, et abruptis barathrum sublustre metallis
Pandit[7] in excidium populi; sævosque labores,
Verberaque, et longos perperit sine solibus annos.
Hinc artus resides, discinctaque in otia natos,
Corripuere cohors morborum; hinc flebile murmur
Ingruit, et cæcæ penitus gemuere fodinæ.
Ast, opere in medio, multi singultibus imis
Linquebant dulces animas, interve flagella
Fregit corpoream vita indignata catenam:

[6] "From the continual wars and civil dissensions, nothing was now seen but poverty and desolation, where fertility and opulence before abounded." Supp. Enc. Brit.

[7] The mortality among the Mexicans, occasioned by their being compelled to dig in the mines, is said to have been almost incredible.

Dum[8] procul impastæ projecta cadavera circum
Invigilant tigres, obscœnarumque volucrum
Tetra super legio ferali remigat ala.

Audin? ut insonuit cœlum: non murmura luctus
Amplius, aut avium clangor; sed clara remugit
Buccina, et excussis fauste ciet arma catenis.
Ergo gens sævos, post sæcula longa, tyrannos
Rejicit impatiens, patrumque ulciscitur umbras;
Ergo iterum dulci Libertas numine fontem
Restinxit lacrymarum, instauravitque triumphos;
Pone sequens cœlo niveis Concordia pennis
Plaudit; et annorum incepit jam purior ordo:
Securos veluti cum rauca per æquora nidos
Alcyones posuere, fugantur carmine nubes,
Suave micant fluctus, et detumuere procellæ.

CAROLUS WORDSWORTH,

1827. Ex Æde Christi.

[8] "Torribio affirms that the country round several of the mines was covered with dead bodies; and so many voracious birds hovered about for their prey, that the air was darkened with their flight." Rob. vol. iv. p. 324.

MACHINÆ VI VAPORIS IMPULSÆ.

Ξυνώμοσαν γὰρ ὄντες ἔχθιστοι τὸ πρὶν
Πῦρ καὶ Θάλασσα.

Ergo elementorum rabiem indefessâ furentum
Fœdere conciliare novo, et discordia rerum
Semina vi magicâ cæcisque adnectere vinclis,
Fas impune homini! Mundi diffusa per artus
Diditur, et toto nitet ordine Diva Creatrix,
Omniparens: sæclis adeo nascentibus ipsa
Adfuit—ipsa favens ægris conatibus, artis
Materiem dedit, et primordia notitiaï.
Nonne vides, si quando atrâ de nube relucens
Sol jubar extulerit, pluviosque fugaverit imbres,

Ut laxata vapor se per spiramina terræ
Erumpat, densusque cavis convallibus humor
Crassæque exsurgant nebulæ, et quâ parte calorem
Ebiberint, tepidâ sudent uligine glebæ?
Fœdere non alio, fervore exercita flammæ,
Dediscit morem Unda suum, spatiumque capessit
Liberius, solitâque negat compage teneri.
Quippe ubi supposito spumescunt igne lebetes,
Fervent intùs aquæ; vis inde exorta vaporis
Certatim discedere avet, cupidèque petissit
Omnem aditum, clausique hinc inde foramina aheni.
Quin, (si vera fides) inter penetralia terræ
Volvuntur liquido igne lacus, subtusque profundis
Fluviorum immiscent se fontibus: inde moveri,
Exardente vaporum turbine, materiaï
Congeries, et stratorum superincumbentum
Disrumpi avulsæ moles; liquefacta videmus
Fragmina saxorum, rutilasque rotare favillas
Ætnæ arcem ignivomam, dorsumque nivale Vesevi
Mixtam sulphureo torquere bitumine arenam!
Haud aliàs elementa, et magni machina mundi
Concordem servant, discordi lege, tenorem.

Nimirum in medium, sociâ acta cupidine, cernas
Omnia conniti; quâ vi collisa, necesse est
Ad nihilum redigi, aut misceri corpore corpus—
At se per totam subtile caloris acumen
Insinuat molem, et corpuscula densa relaxans
Ulterius prohibet coalescere, particulasque
Distinet oppositas, discretaque semina rerum.
His animadversis, miræ patet artis origo:
Hinc ingens orditur opus. Stat mole minaci,
Artificisque refert longos operosa labores
Machina; circum arcto compages ferrea nexu,
Centumque adstringunt laterum tabulata catenæ.
Fit raucum interea murmur ferventis aquaï,
Vulcanoque ingens Vas æstuat: inde Vapores,
Quà data porta, ruunt, eluctanturque citati
Per tubulum, pulsantque fores, aditusque lacessunt:
Claustra patent, ultroque recludunt ostia valvæ.
It binas vapor iste vias, et utrinque cylindro
Sese infert: pars ima petit, sursumque resultans
Ingestum indignatur onus, præscriptaque tollit
Pondera; converso pars deprimit altera motu.
Binæ adeo dubio oppositæ discrimine vires

Pugnarent lite æternâ, nisi utrique vicissim
Atria inanitis spatiis vacuata paterent.
Ergo, vice exactâ, plenoque gemente cylindro,
Claustrorum impatiens erumpit inutilis humor,
Et gelido demersus aquarum fonte, residit.
Hinc iterum latices condensos excipit alveo
Vas, igni impositum: calefactæ rursus aquæ vis
Emicat exultim, instauratque novata vigorem.
Jamque sonare fragor, penitusque impulsa cieri
Machina: quin stridore gravi surgitque caditque
Libra ingens: gemini, sursùm deorsùmque rotatâ,
Versantur globuli, seque axem limite certo
Circumagunt; quanto illa cito magis impete fertur,
Tanto illi a medio spatia in majora recedunt
Latiùs, effusumque magis volvuntur in orbem.
Altiùs insurgunt adeo, impulsâque catenâ
Motant infixam tubulo clavim[1], inque peditis
Valvarum portis, prohibent se inferre vaporum
Agmina conglomerata, æstusque immanè furentes.
At vero, quoties languet cunctantior ictus,

[1] Angl. "throttle-valve."

Præcipiti actutum revolubilis orbita gyro
Momento volat ipsa suo, hærentemque rotarum
Exagitat seriem, et tardatos succutit axes.
Vis illinc, quocunque moventis dextra propellat,
Fertur, et ad varios vitæ se porrigit usus.
Secto etenim in præceps puteo, terebrâque tenebris
Ritè exploratis, demittit in ima catenarum
Ordinem, et immani carbonum pondere moles
Machina sursùm agit, abruptisve metalla barathris.
Dulci ergo auferimur regione, ubi ridet amœno
Aurea lux cœlo, latèque innubilus æther.
Visceraque ingredimur terrarum, altâque silentes
Nocte locos. Agit excubias, instatque labori
Fossorum manus infelix, queis mille pericla
Præsentem vario portendunt omine mortem,
Mille mali facies! Sensus ibi sæpe gravatos
Torpor iners premit et pellacia subdola somni
Obruit (heu! triste indicium)—tremere excita tellus
Sub pedibus: mussare solum: se quisque supinum
Stravit humi: volat inde procellæ sævior alâ
Turbinis ignea vis, divolsaque saxa sub auras
Contorquet, lacerosque artus. Quin sæpe furentum

Undarum fremuere iræ, penitusque cavernas
Diluvio opplêrunt: censeres, agmine facto,
Magnos exundâsse profundis fontibus amnes,
Ruptisque immissum bacchari Acheronta fodinis.
  Sed miseris tulit auxilium, certasque salutis
Ars nova suppetias. Subtile per abdita terræ
Imperium agnoscunt, omnique ex parte coactæ,
Mille per ambages et cæca foramina, in unum
Conglomerantur aquæ: puteo dein haurit ab imo
Machina proluviem undarum et sursùm trahit ingens
Antlia: siccatis latebris inamœna recedunt
Flamina, pestiferæque fugit gravis halitus auræ.
Obliviscier hinc curas trepidosque timores
Fossorem videas—hinc lumine lætitiaï
Fœdam hominum illuviem torvosque nitescere vultus!
  Freti ope non aliâ, studio leviore coloni
Durum opus exercent. Per hiantes gleba meatus
Sentit inassuetos arcani nominis haustus;
Tristiaque exhalans ubi semina pestis Avernæ
Torpuerat longo tellus obducta veterno,
Ridet agro subitum decus, et regione salubri
Aurea temperies, verisque inopina venustas!

Scilicet et—pictis quamvis in vallibus hortos
Alma Parens, myrteumque nemus, cœlumque negârit
Purpureum—fœcunda tamen per pascua cernet
Luxuriem segetum flavasque Batavia messes.
Subsidet limosa palus[2], æstusque per artem
Sentiet exhaustos; licet hinc, vasto objice ripæ
Indignata coerceri, fremat usque sonantis
Ira maris—graveolenti illinc uligine campos
Oppleat humor iners, stagnique inamabilis unda.
  Nequicquam mediæ dirimens confinia terræ
Oceani effrænas plaga dividit invia gentes!
Nequicquam intentans furias, ciet æquora Nereus
Horrendùm bacchata, voraginibusque profundis
Audentes vetat ire viros:—sopita recusant
Frustra flamina opem, Zephyrusque ac turbidus Auster
Vana per Æolias deducunt otia rupes!
Aspice! quisquis iter flectas, ubi fervidus undas
In mare devolvit Thamesis pater, aut ubi blando
Clyda Caledonias interstrepit æquore valles;
Lympharum in tremulâ facie cum lassa recumbit

[2] The Haarlem Meer. Vide Encycl. Brit. Tom. xix

Aura, silentque leves per glauca cubilia venti;
Aspice! "protelo plagarum continuato[3]"
Scindit aquam ratis, insultatque obstantibus undis
Remigio veloque carens; volat aëre turbo
Spumeus, et longo canescunt tramite fluctus.
Heu! quoties stragis media in discrimina nautas
Raptura ignaros—quoties gravida ipsa ruinâ—
Radis iter liquidum! Sæpe ignea carcere nubes
Sæviit, et perterricrepo displosa fragore
Torsit agens secum laceræ fragmenta carinæ,
Truncatasque virum formas: aut per freta ponti
Vehementi (horrendum!) navis navim impulit ictu
Nocte intempestâ:—exaudires dirà ululantes
Plangere aquam nisu assiduo: laxantur ibidem
Enerves artus, resonatque in gurgite vasto,
Faucibus erumpens extrema inter fugientis
Vitaï luctamina discidiumque animæ, vox!
—Stragem adeo infandam et crudelia funera pauci
Insatiabiliter deflemus, et usque foventes
Luctum ægro sub corde, plagis inhiamus aquarum,

[3] Lucret. lib. ii. 531.

Suspicimusque oculis: illæ placido ore videntur
Insultare malis lacrymasque illudere inanes!
Prodigium interea magnus stupet orbis, et artis
Egregium miratur opus. Columbia molem,
Incinctam piceâ nebula, flammasque vomentem,
Vidit Atlantiaci superantem claustra profundi.
Intremuit visu, vitreasque refugit in aulas
Nereïdum chorus ad Laurentî rauca fluenta,
Et ripas, Oronooka, tuas: trepidusque Panamæ
Incola montanorum audiit sacraria Divum,
Solem oraturus patrium, Geniosque locorum!
Quin vagus arte novâ lustrat Gangetis arenas
Navita, Persarumque domos, vastoque Mysoræ
Regna situ; purove sub æthere captat odores,
Arva ubi Taprobanes semper florentis Eoos
Fortunata virent interlucentia fluctus.
Hei mihi! quòd turpes tali petat arte triumphos
Gens malesana hominum, necdum exsaturata furores
Arma acuat bello et Marti nova tela ministret!
Nimirum validâ compage inclusa vaporum
Vis furit, et claustris stridens luctatur ahenis;

Dein agitata foràs, disrupto turbine, ferri
Ejectat tempestatem, et nimbis vomit ignes
Sulphureis: directâ acie dant agmina cladem
Turmatim, et magnæ vastantur stragibus urbes!
Mollior olim ætas scelus aversatur, et artes
Exhorret serò patrias: stupet incola passim
Disjectas murorum arces, ævique peracti
Lugubre contemplans monumentum, mœnia pallet
Strata solo, refugitque feros meminisse parentes.
  At non auguriis adeo infelicibus oras
Fausta per Angliacas versantur munia pacis,
Nativæque vigent insuetis viribus artes.
Ergo non durum impendent sub nocte laborem
(Livida dum fractos macies depascitur artus)
Carceribus clausi artifices; non tenuia carpunt
Pensa, neque assiduo pertentant pectine telas;
Fusile nec flammis, orbati luce dieï,
Evolvunt stannum, nec ferri forcipe massas
Informant: istos se machina flectit in usus
Pulsibus acta novis, arcanaque persentiscens
Organicæ momenta manûs, celeri incitat ictu

Mille rotarum axes, revolutosque ordine gyros.
—Excidio ex ipso ac morborum strage recenti
Arridet roseo ore Salus, vegetoque vigore
Enitet exoriens : Arabum sic fertur in oris
Ales odorato e cinere ambustisque parentis
Ossibus enasci formosior ; ille per auras
Ardet abire leves, viridique animosa juventâ
Fingit membra fugæ, et pictas quatit æthere pennas.
  Non tibi terraï pandit sinus, Anglia, gazas
Lumine gemmarum fulvoque interlitus auro—
Non tibi dædaleis subridet scena rosarum
Floribus, ambrosiæve immurmurat halitus auræ
Citrea per nemora et redolentes cinnama sylvas—
Sed solium erigitur mediis sublime procellis
Auro Asiæ et lati spoliis Orientis onustum ;
Sed patriæ armigeris tutatur littora dextris
Martia gens ; sed magni animi, rerumque capaces,
Procudunt artes meliùs, dulcique repertas
Expoliunt studio :—exultim mens vivida fines
Transgreditur sibi præscriptos, normasque latentes
Ardet acutâ acie atque oculo propiore tueri ;

Seu juvet, impellente Deo, dare commoda vitæ,
Auxilioque levare viros; seu mystica rerum
Principia et cæco scrutantem fœdere causas
Raptet amœnus amor, mixtoque pavore voluptas.

T. LEGH CLAUGHTON,

1828. E Coll. Trin.

M. T. CICERO

CUM FAMILIARIBUS SUIS

APUD TUSCULUM.

Celsa ubi puniceo Latii pomaria vultu
Despectant Anienis aquas, et myrtus opacat
[1]Tusculum, et uva rubet clivis injussa supinis,
Fessus in æstivæ quondam solatia villæ,
Inque nemus Cicero se subducebat amœnum.
Scilicet huc dulces sæpe invitabat amicos
Hospitio; hic placidi captabant otia ruris;
Huc Brutus sociique aderant; hic, Attice, Tullî
Gaudebas sermone tui; ingentesque procellæ

[1] Hodie "*Frascati.*"

Conticuêre fori, et raucæ fragor abfuit urbis;
Incoluit sacros Pax inviolata recessus,
Et secura quies, et rixæ nescia vita.
Vix inter medios albentem pariete dumos
Villam cernere erat, prensansque tenacibus ulnis
Plurima frondosas obsedit caltha fenestras.
Nonne vides, tecto flos ut lasciviat omni,
Incolumemque larem circumvolet hospes hirundo;
[2]Ut prope vestibulum spirantia signa loquantur,
Purpuraque excusæ mitescat pensilis uvæ?
Illinc Albanos, [3]Fratrum quibus ossa quiêrunt,
Suspiceres Tumulos, cædis monumenta cruentæ:
[4]Fixerat at contra propriæ munimina gentis

[2] Quæ mihi antea signa misisti, ea nondum vidi, in Formiano sunt, illa omnia in Tusculum deportabo. *Cic. ad Att.* Ep. 4.

[3] Horatiorum et Curiatiorum: de quorum sepulchris vide Liv. lib. i. 25.

[4] "Westward the view descends, and passing over the Campagna, fixes on Rome, and the distant mountains beyond it. On the south a gentle swell presents a succession of vineyards and orchards; and behind it towers the summit of the Alban Mount, crowned with the temple of Jupiter Latiaris." *Eustace, Class. Tour*, vol. ii. ch. 8.

Jupiter; hic templum, et summi custodia saxi;
Ipse suum Latium Deus, et subjecta videbat
Imperia, et pingui felices ubere campos.
Parte alia, rutilis effulsit Roma cadentem
Turribus ad solem, atque adverso flumine Tybris
Mobilis accepit flammam, longeque reluxit.
Fons juxta in foribus flores colla uda gravatos
Proluit; ipse sedens Anio de marmore, ab urna
Fundit inexhaustos latices; hos balnea condunt
Rupe cava, riguoque bibunt exhedria musco.
[5]Post villam e celso properabat culmine rivus
Eluctans scopulis, et per virgulta ruebat.
Infra lapsus aquæ, fictæque pependit Imago
Iridis, et sparso rorârunt imbre salicta.
Hic sellæ agrestes, nodosaque cortice mensa;
Ipse manu fractæ ramos aptaverat ulmi
Tullius, et flexos curvârat robur in arcus.
Non solis radios Tyrii amovere tapetes,

[5] De Crabra quid agatur, etsi nunc quidem etiam nimium est aquæ, tamen velim scire. *Cic. ad Fam.* lib. xvi. ep. 18. Hodie "*La Marana.*"

Nec sua longinqui miserunt thura Sabæi;
[6]Cuncta dedit platanus, frondosæque halitus auræ.
Vesperis interea socii per amica sedebant
Frigora, dum tacita incautis surrepserit hora
Noctis, et e latebris voci responderit Echo.
Illi præcipue secreta annalia rerum
[7]Pandebant, mersosque alta caligine fastos;
Vel qua mens hominis moveatur ductilis arte
Rhetoris, et prono rapiantur flumine sensus.
Aut infelicem patriam, lethaliaque urbis
Vulnera plorabant, laceræ civilibus armis;
Forsan et indignans atrocis fræna tyranni
Libertatis opus struxisti hic, Brute, volentesque
Hic primum Divos in grandia cœpta vocâsti!
Quinetiam nugis animos recreare solebant
Interdum, et fessos puerili solvere ludo.
Nunc astare juvat, dum sepit ovilia pastor,

[6] Nam me hæc tua platanus admonuit, quæ non minus ad opacandum hunc locum patulis est diffusa ramis, quam illa cujus umbram secutus est Socrates. *Cic. de Orat.* lib. i. 7.

[7] Ciceronis Disputationes de Divinatione et de Oratore in Tusculano habitas esse ferunt.

Vel mulget gravido distentas lacte capellas.
Aut ubi per notos ducebat semita lucos,
Hi segnes ibant; tu currens impigra anhelum
Floribus implêsti gremium, patrique dedisti,
Tullia, sublatis exquirens oscula ocellis.
Vel clam sæpe eadem post tergum lapsa, coronis
Cæsariem ornâsti roseis, risuque protervo,
" Id concede, precor supplex, ut filia patrem
" His saltem accumulem donis, furetur honores
" Invida ne cunctos, et nil mihi Roma relinquat."
Ah Virgo, illa tui quantùm diversa Parentis
Oscula, quæ tacitis mox imprimet ultima labris!
Ah! quàm non eadem florum tibi dona vicissim
Reddita, gramineo cùm fundet odora sepulchro
Lilia: verque tui non immemor esse docebit!
[8]Parte alia, ad collem tenui pomaria clivo
Vergebant, et sepe hortus prætextus acerna.
Nec fama, Cicero, indignam, neque nomine tanto
Tu rebare operam; tu plantas vere serebas

[8] Cic. de Senec. cap. 15, ab initio ad finem.

Ipse manu, teneræ observans cunabula gemmæ.
[9]Sæpe comas patulæ strinxisti Consul olivæ,
Depositisque tuos coluisti Fascibus agros.
[1]Mox ubi curvavit ramos Autumnus olentes
Muneribus, falcemque vocat jam debilis arbor,
Cessantes passim per læta vagantur amici
Virgulta, ac fœtus speculantur divitis anni;
Mirantes, ut mala piris aliena rubescant
Imposita, et Zephyrus folio bicolore susurret;
Utque suam serpens erratica vitis ad ulmum
Hæreat, amplexusque petat jam nubilis uva.
Ambrosios alibi spirant alvearia flores.
Nonne vides, incerta volans ut mellea labro
Pocula tranet apis, palmæque interstrepat umbram?
Explorant comites solertia gentis onustæ
Ingenia, ac tardo reprimunt vestigia gressu;

[9] Quid ego vitium satus, ortus, incrementa commemorem? satiari delectatione non possum, ut meæ senectutis requietem oblectamentumque noscatis. *De Senec.* 18.

[1] Nec vero segetibus solum, et pratis, et vineis et arbustis res rusticæ lætæ sunt, sed etiam hortis et pomariis; tum pecudum pastu, apium examinibus, florum omnium varietate. *De Senec.* 16.

Ante alios primus vultu ridere benigno
Tullius, et "Mecum parvos," ait, "Attice, cives
"Aspice, quæ felix populo concordia, rerum
"Quantus amor, fixis quam pulcher legibus ordo?"
Protinus incumbens Ciceroni Brutus, "Et illis
"[2]Haustus inest quidam divinæ lucis, et auræ
"Pars cœlestis," ait: "sunt omnia numine plena;
"Numinis in minimo cernas miracula texto.
"Nec minus admiranda hominis spectacula prodit
"Natura; hanc etiam trepida formidine lustro.
"Ergo age, jampridem cæcos recludere fontes
"Pollicitum nobis, te munera debita posco.
"Hesperus invitat, nec vellere prata madescunt
"Nocturno, aut primis stat ros argenteus herbis.
"Spero equidem, nec Spes umbra me ludit inani
"Perfida, non Animum, morienti corpore, totum
"Posse mori, sed nigro aliquid superesse sepulchro."
Tullius at contra, "Tanto, mi Brute, labori
"[3]Impar, immensis errabo incertus in undis:

[2] Vide Virgil. Georg. iv. 220.

[3] Itaque dubitans, circumspectans, hæsitans, tanquam ratis in immenso mari nostra vehitur oratio. *Tusc. Disp.* lib. i. 30.

" Sin libeat, cymbæ trepidantia pandere vela
" Audebo, rapidisque adeo me credere ventis.
" Mens hominis (ni vana fides) ac mira potestas
" [4]Materie terrena parum est; quot plurima tellus
" Aspice, parturiat; quænam vis purior ollis?
" Aversatur humi crassas mens integra sordes.
" [5]Credibile est igitur, deduci simplicis auræ
" Particulam cœlo, sensusque ex omnibus astris
" Collectos, huc ætherio descendere tractu.
" [6]Ergo animus multos in corpore conditur annos,
" Squalens nocte, suaque sedet ferrugine clausus:
" Hinc sibi nota tamen captivus suspicit arva
" Mœstior interdum, atque optantia lumina jactat.
" Rumpuntur tandem sera retinacula morte;
" Nec mora; continuo puræ in confinia lucis

[4] Animorum nulla in terris inveniri origo potest; nihil enim est in animis mixtum atque concretum, aut quod ex terra natum atque fictum esse videatur. *Tusc. Disp.* 27.

[5] Homines enim sunt hac lege generati, qui tuerentur illum globum quem in hoc templo medium vides, quæ terra dicitur; hisque animus datus est ex illis sempiternis ignibus, quæ sidera et stellas vocatis. *Somn. Scip.* 3.

[6] Immo vero, inquit, ii vivunt, qui ex corporum vinculis tanquam e carcere evolaverunt. *Somn. Scip.* 3.

" [7]Exiit, ac nullo superavit nubila nisu,
" Dilectos dum lætus agros, cognataque tangat
" [8]Limina; tunc æquo libratus pondere, demum
" Incubet, et passis super æthera pendeat alis.
" Attice, prima vides pallentem cornua Lunam,
" Astraque tot vigiles sensim accendentia tædas.
" Forsitan et nobis dabitur miscerier istis,
" Et volitare vagis, et circum quæque morari,
" [9]Jam spectare, locis qui sit cœlestibus ordo,
" Jam qua lege voluta rotetur machina mundi.
" Hunc necnon angustum orbem, desertaque tecta
" Desuper e specula, nostrisque tuebimur oris.
" Nosque feret celeri curru levis aura, volatu
" Molli incumbentes, nec pondere congemet ullo.
" Protinus intacti tranabimus æquora ponti,

[7] Necesse est ita feratur, ut penetret, dividat omne cœlum hoc, in quo nubes imbres ventique coguntur. *Tusc. Disp.* lib. i. 19.

[8] Quam regionem cum superavit animus, naturamque sui similem contigit et agnovit, tanquam paribus examinatus ponderibus nullam in partem movetur. *Id.*

[9] Quamvis copiose hæc diceremus, si res postularet, quam multa, quam varia, quanta spectacula, animus in locis cœlestibus esset habiturus. *Tusc. Disp.* lib. i. 21.

" [1]Tellurisque vias, nivea qua Zona sub Arcto
" Duratur glacie, aut urit Sol omnia flammis.
" Mox et delicias invisam forte senectæ
" Tusculum, et hos iterum, vobis comitantibus, hortos:
" Dulciaque ut vitæ agnoscam monumenta, juvabit
" Hos meminisse dies, atque hæc mea præscia verba.
" Nec tamen, ut perhibent, cœli patet omnibus idem
" Ascensus; sed enim depressos pondere culpæ
" [2]Perplexæ ambages, callisque miserrimus error
" Accipiunt; alii tortos verruntur in orbes,
" [3]Suspensi ad ventos, dum labem exemerit ætas.
" Vos ergo Patriam moniti, legesque tueri
" [4]Discite, nec segni luxus torpere veterno.

[1] Quod tandem spectaculum fore putamus, cum totam terram contueri licebit, ejusque cum situm, formam, circumscriptionem, tum et habitabiles regiones, et rursum omni cultu propter vim caloris aut frigoris vacantes. *Tusc. Disp.* lib. i. 30.

[2] Nam qui se humanis vitiis contaminavissent, et se totos libidinibus dedissent, iis devium quoddam iter esse seclusum a concilio Deorum. *Tusc. Disp.* lib. i. 30.

[3] Namque eorum qui se corporis voluptatibus dediderunt, earumque se quasi ministros præbuerunt, corporibus elapsi animi, circum ipsam terram volutantur, nec hunc in locum, nisi multis exagitati sæculis, revertuntur. *Somn. Scip.* 9.

[4] Hanc vitam tu exerce in optimis rebus. Sunt autem

"Carcere sic Animus perrupto corporis, exin
"Adjunget sese comitem surgentibus auris,
"Devenietque suas rursum incorruptus ad ædes."

Bacchus adhuc sylvis Albana cacumina vestit,
Subridetque Ceres, spicis intexta capillos;
Illa tamen, Tulli, floret pulcherrima sedes
Heu! jampridem oblita tui, ingratique recessus
Immemores: nec jam discunt virgulta sonare
Colloquio, aut solitam saxosa umbracula vocem
Agnoscunt, mediisve albescit villa tenebris.

[5]Ast ibi mœsta querens acclivi tramite rivus
Desilit: et platanus, tot jam labentibus annis,
[6]Hospitium, ut quondam, dat plurima: mox mola collis

optimæ curæ de salute patriæ, quibus agitatus et exercitatus animus velocius in hanc sedem domumque suam pervolabit. *Somn. Scip.* 9.

[5] "The same alley continues to Grotta Ferrata, once the favourite villa of Cicero, and now an abbey of Greek monks. It is bounded on the south by a deep dell, with a streamlet that falls from the rock, and having turned a mill, meanders through the recess, and disappears in its windings." *Eustace, Class. Tour*, vol. ii. 8.

[6] "The plane tree which Cicero notices with so much complacency in the person of Scævola, in the first book de Ora-

Sub dorso latet, et scatebras occulta loquaces
Accipit; hinc inter flexus, muscumque cavatum
Discedit liquor, et bibulis elabitur herbis.
Nec procul, imposuit qua nunc in rupe Sacellum
[7]Religio, veteris restant vestigia famæ.
Quatuor attollunt immani mole Gigantis
Effractos simulachra pedes; Ædemque columnæ
Contiguam variis incisæ floribus ornant.
Hic senis effigiem videas in pariete; chartam
Læva tenet; frontem meditantis dextera fulcit.
Tristior aspiciens parva heu! monumenta viator
Avellit nequicquam oculos, amissaque luget
Gaudia; mox ipsis, qua stat defixus, in umbris
Egregii quondam meminit [8]Sermonis, et ardor

tore, still seems to love the soil, and blooms and flourishes in peculiar perfection all around." *Eustace*, vol. ii. 8.

[7] "At each end of the portico is fixed in the wall a fragment of Basso Relievo; one represents a philosopher sitting with a scroll in his hand in a thinking posture: on the other are four figures supporting the feet of a fifth of colossal size, supposed to represent Ajax. These with the beautiful pillars which support the church are the only remnants of the decorations and furniture of the ancient villa." *Eustace*, vol. ii. 8.

[8] Tusculanarum Disputationum.

Extemplo surgentem animum divinior implet,
Magnaque nunc tandem demissæ gratia Lucis!
  Scilicet illa tuis arcanæ semina flammæ
Effulsere oculis, quamvis obscura; nec æther
Cognata, Cicero, attraxit dulcedine sensus
Nequicquam; at vates venturi præscius, ultra
Ausus es hos mundi fines errare, recessumque
Optare ignotum, placidique oblivia portus.
Hæc tibi solicitæ saltem lenimina mentis,
Nec parvum ingentis curæ solamen; et hac spe
Heu! miserum exilium, patriæque ingrata tulisti
Vulnera, servatæ crudelia prœmia Romæ.
Hac fretus victricem iram, Antoniique ministros
Instantes, gladiique minas tranquillus, et ora
Aspera vidisti, sublataque brachia ad ictum—
Tum forte Elysiæ sperabas regna quietis
Postremum, et moriens figebas lumina cœlo.

J. E. EARDLEY-WILMOT,

1829. E Coll. Ball.

TYRUS.

Of Arts prime source and guardian! by fair stars
First tempted out into the lonely deep!
To whom I first disclosed mechanic arts,
The winds to conquer, to subdue the waves,
And all the peaceful power of ruling trade,
Earnest of Britain!

THOMSON'S LIBERTY,
Part ii. v. 73.

QUA Syria internum claudit mare, regnaque longè
Euphratis Cilicumque nigris disterminat Afris,
Stat deserta Tyros:—non jam illa ingentia jactans
Mœnia, Erythræis olim fundata colonis[1];
Nec quæ, urbes inter socias populosque potentes
Celsa sedens, regina suo se vestiit ostro.
Sæpe viator ibi, sic fama est, vespere sero,

[1] Herod. Clio, ch. ii.

Mira putat vidisse oculis, aut flebile murmur
Aeris, et tenues pavidâ bibit aure querelas[2];
Seu Genius dolet ille loci, seu sæcla priorum
Visa virûm, et mœsti volitant per littora Manes.
  Advena rarus adhuc Graiûm consederat oris,
Vastaque Tyrrhenos tenuêre silentia lucos,
Tempore quo primis paulatim assurgere rebus
Cœperat, et latè Tyrium increbrescere nomen.
Non illis pecudes, et pastoralia curæ
Castra sequi, qualis priscorum est vita virorum;
Non labor agricolæ, et lætæ cum vomere messes;
Nec pingues oleas tantùm, aut manantia plenis
Mella favis premere, aut vites disponere clivis,
Quantùm malorum aerias attollere sylvas,
Cornuaque extentis onerare gementia velis.
Hic labor, hoc studium: hinc primùm se nauta carinæ
Credidit, et Zephyros audax in vota vocavit;
Sollicitusque sedens puppi mercator in altâ
Durabat pernox, et sidera nota legebat,
Invigilans opibus; fremeret licèt horrida circùm

[2] The Mahometans imagine that all ruins, especially those in Syria, are haunted. See Heber's Palestine.

Ira maris, soloque ululârent gurgite venti.
Mox, ubi jam depulsa fames, jam turpis egestas,
Nec nulla incepto arrisit fortuna labori,
Nascitur ars; non illa sibi felicia quærens
Littora, et injussas alieno tempore messes,
Sed maris exuviis sterilem ditavit arenam[3],
Et prima in duro posuit cunabula saxo!
Aspice! odoratâ steterat quæ maxima sylvâ,
Coniferos apices, nodosaque brachia tendens,
Cedrus, et horrentem pelago projecerat umbram,
Jam petitur ferro; Libanus descendit in æquor
Omnis, et aeriæ Basani de vertice quercus!
Per maris angustas fauces atque ostia lethi[4]
Est iter ad solis populos; ubi lætior arbos

[3] ——— where nature seems to mourn
Her rugged, outcast rocks, there Enterprise
Leaps up:—He gazes, like a god, around;
He sees on other shores the diamond blaze, etc.
Bowles.

[4] The streights of Babel-mandel are so called by the Arabs. *Bruce.*
Have passed the streights and left the rocks and gates
Of death. *Bowles.*

Nascitur, Ophyricisque[5] flagrat sub montibus aurum!
Ipsa novam ratis ire viam felicibus Austris[6]
Haud timet; ipsa volat, nullo rectore, per undas!
Non eadem expertos, nec tam benè numen amicum
Crediderim, Libyæ tot circum littora vectos[7]
Circuitu immenso! gemino qui sidera nôrunt
Fixa Polo, et nimios recto sub sole calores;
Qui maria, umbrosique minas Custodis[8], et atrum
Culmine ventoso montem, fœdumque procellis[9]!
Ausi etiam occiduos fluctus, longèque sonantem
Ionium penetrare, Atlanteosque recessus
Impavidi, et quemvis lucro perferre laborem!

[5] Ophyr is placed in the East by all the best authorities. So Tzetzes,

Insula est Indica, quam poetæ auream vocant;
Alii verò peninsulam vocant, sed non insulam:
Hebræi autem Ophyr linguâ suâ vocant,
Habet enim metalla auri et lapides omnifarios.

The "Algum tree" also was brought from the East.

[6] Alluding to the trade winds.

[7] Concerning this circumnavigation of Afric, see Herod. Melpom. ch. 42, who mentions their passing the line.

[8] "The Giant Phantom of the stormy Cape." *Bowles.*

[9] See Camoens' description. The Portuguese only rediscovered the Cape of Good Hope. *Universal Ancient History.*

Primum Ægyptiaci statio vicina Canopi[1]
Ad nova Sidonias traxit commercia classes;
Aut Cyprus, Veneri Cyprus dilecta marinæ.
Mox Caras Lelegasque petunt, sparsasque per æquor
Cycladas, et Thasiâ[2] priscos sub rupe Pelasgos,
Italiam, Ligurumque sinus, et flumen Iberi.
Quid memorem sparsis infames ossibus oras
Sirenum? quid nauta procul cum viderit Ætnam
Flammantem, et Siculo torvos in littore fratres;
Scyllæasque canes, implacatamque Charybdim[3]?
At quibus ille labor claustra exsuperare profundi,
Herculis et geminâ surgentes rupe columnas,
Illis felices pendebant arbore fructus,
Aureaque Hesperidum servabant poma dracones[4].
—Aut freta sæva legens resonantibus horrida ventis,
Littora Hyperboreo septem subjecta trioni
Navis adit—pictas hominum visura figuras,

[1] Canopus was the only free port in Ægypt. *Herod.*

[2] See Univ. Hist. Herod. and Diodorus.

[3] Scylla, Cyclops, Charybdis, the Syrens, etc. we owe to the invention or exaggeration of Phœnician navigators. *Mitford's Hist. of Greece.*

[4] The fable of the "golden fruit" is said, like the Colchian fleece, to have meant no more than a lucrative commerce.

Errantûm tenebris ramorum, ulvâque palustri.
At genus artificum, murisque assueta juventus
Vitam exercebat studio percussa decoro;
Seu jam templa Salem centumque sacraverit aras
Auxiliis fidens sociorum, et Regis amici[5]
Munere; seu Tyriam cœptis ingentibus urbem
Condecorent, patriasque ferant ad sidera laudes.
Diripuêre maris thalamos: Ægyptia vestis
Sentit inassuetos, fuco mutata, rubores;
Atque alius rutilo formas cœlabat in auro,
Ornamenta domûs, et regibus apta superbis;
Ostro alius violabat ebur; jamque ære lebetas,
Ære dabant tripodas, magnisque altaria templis[6].
At strepere intereà, mistoque undare tumultu
Compita: quot populi terris, tot littore naves
Diversæ, totidem ora sonos discordia miscent.
—Marmore quinetiam aspiceres, celsisque columnis,
Templa Deûm, procerumque domos; effossaque nautis

[5] Hiram.

[6] Quotations from Homer, etc. for bowls, tripods, swords, etc. of Phœnician manufacture, might be needlessly multiplied. The brazen altar which took the fancy of Ahaz at Damascus was probably of the same.

Hospitia, et jactas pelago procurrere moles[7],—
Undique opes varias, magni Commercia mundi!
  Ac velut Eois arbor quæ nascitur oris[8],
Inflexos properans terræ conjungere ramos,
Vertice decrescit toto; sylva undique surgit
Lætior, et viridi matrem complectitur umbrâ:—
Aut ut apes parcæ, si quando æstate serenâ
It globus aerius,—cœloque examina ducunt,
Libatura novos intonso in gramine flores:
Non aliter, cum gentis opes crevêre vetustæ,
Nec jam se capit ipsa, suisque exuberat armis,
Tum petit arva procul, missis longinqua colonis;
Signa movent artes; cœtum comitantur ovantem
Divitiæ maris, et pingues sine sanguine lauri!
Aspice! Cecropiæ surgunt sub sidera turres,
Littore in Ægæo; surgunt Cadmeïæ[9] arces,
Sacra latus niveum quà bos deponit in herbâ!
Auspice non alio celsum caput extulit astris
Carthago: Tyriæ nec dedecus illa parenti,
Quam Mauri Numidæque tremunt, quam maximus Atlas.

[7] Maundrell, p. 50.
[8] The Banyan tree or Indian fig.
[9] Virgil, Georgic iv.

Hinc ubi complêrunt armato milite naves,
Per fines Erycis magno gens Punica bello
Ibit ovans, populosque manu contundet Iberos.
Tu quoque, quem[1] speras, sinerent modo fata, videres,
Infelix Phœnissa, ducem, qui sanguine multo
Imbuet Æneadas, et turbine cinget et igni,
Perfidiam veterem et ruptos ulturus amores.
[2]Heu! tantas inter laudes, meritosque triumphos
Internum scelus et causas venisse ruinæ!
Heu! pœnæ immemores animos, atque ebria luxu
Sæcula!—nec generis[3] labem, Dirasque sequaces,
Nec dextram in Cœlis illi vidêre rubentem!
Sæpe oras pelagi, sinuosaque littora circum,
Raptor agens prædam, populos turbabat inermes[4]:

[1] Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor,
Qui face Dardanios ferroque sequare colonos.
Æneid. iv. 625.

[2] Heu tot vada fessis
Et tantum superesse maris! *Virg.*

[3] They were of the sons of Canaan, and Tyre itself within the promised land.

[4] Homer, Herodotus, and especially the first book of Thucydides's History, show how far they joined the merchant with the pirate. Cicero says, "ad studium fallendi studio quæstûs vocabantur."—*De Lege Agrar.* ii. 435.

Sæpe dolos animo fovit malus hospes avaros.
Ausi et sidereas in vota vocare choræas,
Gentibus errandi morem fecêre: sinusque
Ausoniæ, et Libycum incestârunt sanguine littus[5].
Ibant Sidoniæ secretâ in valle puellæ,
Amissum, chorus omnis, Adonida voce vocantes;
Annua purpureum referebat vulnera flumen.
Quid memorem ut vitas natorum et corpora matres
Saturni vovêre rogo? quid montibus aras
Infandas? quid Solis equos, Lunæque triformis
Fœda ministeria, et sceleratis orgia lucis?
  Respiciens patriam eversam, et fumantia sacris
Templa jugis, ibat pubes captiva Sionis—
Victor ad Assyrias urgebat barbarus arces—
Illa caput quassans odiis, "Atque hoc erat," inquit[6],
"Tot vatum monitus, tot[7] fulmina sæva minarum,
"Imperiumque, et fata meis contraria fatis?
"Exitus hic? nunc Ille suos in regna reponit

[5] On the superstitions of Phœnicia, see Selden de Diis Syris, and for a full account of their human sacrifices in various parts, a note on a fragment of Ennius, page 28. Also Quintus Curtius concerning the siege by Alexander.

[6] Ezekiel xxvi. 2. Joel iii. 4. Amoz i. 9.

[7] Isaiah xxiii.

" Scilicet, et facti verbis æquavit honorem!"
—Vix è sacrilego tantum scelus excidit ore,
Atque ipsi subitò magnâ obsidione teneri
Senserunt, Regemque[8] ferum vidêre sub armis,
Scandentem muros, adversaque tela ferentem.
Tum cœli terræque virûm sonuêre tumultu;
Tunc amens dolor; et frustra sententia cessit
Versa retro.—Pars ire fugâ[9] parat exul in altum,
Fortunæ subitura vices; pars colla superba
Submisêre jugo, et factâ vix pace quiescunt.
Lux iterum concessa Tyro, nubesque remotæ
Dum grave Victoris regnum, Babyloniaque arma
Eruerent Persarum iræ, Medique feroces.
Sensit et Ægyptus cœlorum exercita pœnis,
Sensêre Æthiopes: terræ quo maxima motu[1]
Littora—et exciti trepidârunt carcere Manes[2]!
Totum jamque procul substerni classibus æquor

[8] " Regem," Nebuchadnezzar.

[9] Her own feet shall carry her afar off to sojourn. Isaiah xxiii. 7, 12.

[1] He stretched out his hand—he shook the kingdoms. Isaiah xxiii. 11.

[2] Hell from beneath is moved to meet thee at thy coming. Isaiah xiv. 9.

Cernimus, Europæque Asiam concurrere fatis.
Hi ferro sacras Musarum exscindere sedes,
Haud secus ac jussi, properant: hi libera contrà
Corda gerunt, vitasque volunt pro laude pacisci!
Inde, ubi certa polo volverunt tempora soles,
Gensque modum implevit sceleris malesana paterni,
Ultorem Emathium Deus evocat:—Ille per ignes,
Per solia eversa, et spumantes sanguine campos
Advolat, et ventis et fulminis ocyor alâ[9].
Tum neque Sidoniæ valuêre in prælia classes,
Nec mediis posuisse altas in fluctibus arces
Profuit, invalidosve Deos vinxisse catenâ[1]!
Saxum[2] ingens veluti cum vertice montis ab alto
(Quod venti eruerint tempestatesque sonoræ)
Volvitur, horrendùmque cadens tonat—excita pulsu
Terra tremit, fractoque in se mare refluit æstu:
Non alitèr—quæ sceptra manu, sævumque tridentem

[9] Behold, an he goat came from the west, *and touched not the ground.* Daniel viii. 5.

[1] It was Apollo, who they feared would leave them, and so chained him to Hercules. *Quint. Curt.*

[2] We are informed by Dr. Clarke, that the fall of such masses of rock is of peculiarly frequent occurrence in Syria.

Gestârat pelagi—vario quam munere tellus
Auxerat, et longis cumulata potentia seclis,
Fulmine tacta Dei præceps ruit!—Audiit orbis
Ultimus, et toto gemitus[3] sonuêre profundo!
—Urbs nova vicinis Ægypti conditur oris,
Regis opus; nautasque Pharos despectat euntes:
Huc pelagi vertuntur opes: hæc ultima magnæ
Fata Tyri, extremoque hoc vulnere victa resedit!
Et tamen orba diu raptos mœrebat honores,
Romanumque jugum novit, fascesque severos:
Vidit et æternum cœlo descendere lumen[4],
Audiit et Sanctas mutato pectore Voces:
Mox Arabum venêre manus, Turcæque feroces,
Nec miles Crucis urgenti se opponere fato
Ampliùs, aut armis potuit defendere muros.
Nunc ibi fortè pedem Arctois vagus hospes ab oris[5]

[3] Ezek. xxvi. 18, and xxvii. 29 ad finem.

[4] "The coasts of Tyre and Sidon" were the scene of the miracle of the Syrophœnician woman. Tyre was afterwards a bishop's see, and was finally destroyed when the Crusaders left it, being the last place they retained in the Holy Land.

[5] See Maundrell, Shaw, Volney, and Bruce.

Sistit, et in solâ secum meditatur arenâ :—
Hìc vacuos portus—hìc informi aggere lapsam
Murorum aspiciens molem, ingentesque columnas,
Templaque—quæ jam tempus edax et barbarus hostis
Stravit humo.—Circùm rari, gens dura, laborem
Exercent in aquis : nunc tendunt littore sicco
Retia[6], nunc illi per squalida tecta vagantur,
Somnia ceu noctis, simulacrave luce carentûm.

W. PALMER,

1830. E Coll. Magd.

[6] Bruce describes very circumstantially two fishermen drying their nets; and Maundrell mentions such persons as the only inhabitants of the ruins.

NUMANTIA.

"Worthy sons
Of that most ancient and heroic race,
Which with unweariable endurance still
Hath striven against its mightier enemies,
Roman or Carthaginian, Greek or Goth:
So often by superior arms opprest,
More often by superior arts beguil'd.
Yet amidst all its sufferings, all the waste
Of sword and fire remorselessly employ'd,
Unconquer'd and unconquerable still!"

SOUTHEY'S RODERICK.

JAMDUDUM Ausoniis, longos obnixa per annos,
Cesserat imperiis Pyrene, cesserat aurei
Ripa Tagi:—siluêre enses, et pacis iniquæ
Impositâ mœrens Hispania lege quievit.

Una tamen,—medios inter, quos impius hostis
Urgebat pavidos, aut tanti nominis horror
Terruit—una minas tumidumque Numantia fastum
Victorisque jugum sprevit secura tyranni,
Quæ solio montana sedens, quæ firma suorum
Præsidio, stetit, et populos despexit inertes.
  Illa diu lætum placidis in montibus ævum
Egerat, insano gladiorum immota tumultu,
Tutela atque decus patriæ; pacisque beatæ
Floruit auspiciis, et honesto robore crevit.
Nec Libertati sedes dilectior usquam,
Nec Themis aut Pietas aliam sibi maluit arcem.
Illa quoque heroas peperit, genus acre virorum,
Vita rudis quibus et simplex, sed fortia corda,
Sed virtutis amor, duroque exercita cultu
Corpora.—Quid priscæ revocarem gaudia sortis?
Tum ridebat ager, tum puri suavior haustus
Aëris, et dulces sylvarum in vallibus umbræ,
Et flores gremio tellus, et dædala circum
Fudit opes varias:—necdum insatiata libido,
Necdum atrox ira incessit, malesuadaque regni
Ambitio, laxisque furor bacchatus habenis.

At neque tuta viris adeo et felicibus armis,
Ingenioque piæ munita Numantia gentis,
Nec tantum jactabat opes, quantum ardua claustra
Naturæ congesta manu. Per saxa, per arces
Turritas scopulorum, et inexsuperabile vallum,—
Hoc iter, hoc, turmis hostilibus, huc grave belli
Torquendum fulmen, scandenda hæc mœnia Romæ!
Ipsa, jugum rutila cingens proclive corona,
Præruptas triplici suspexit vertice rupes,
Finibus hinc cœli Occiduis, hinc Solis ab ortu
Instantes Aquilone tenus: Duriusque sonabat
Fonte recens infra, trepidoque per invia lapsu
Ibat aquis præceps, atque æquora prona petebat.
Talibus effultam muris, tantâque superbam
Mole, caput regni agnovit, rerumque magistram,
Divitiis pollens et fertilis ubere glebæ
Arvacûm populus:—nec majus Iberia nomen
Audiit: hæc, veteri passim quum cætera norma
Cessissent, Celtasque atavos moresque parentum
Rettulit una tenax: hæc gentibus arbitra rixæ,
Hæc ultrix scelerum, et sævis metuenda tyrannis.
Ergo, ubi finitimos Romæ ditione teneri

Aspiceret late populos, dominumque ferocem
Supplicium victis moliri, urbesque superbas
Diruere excidio; concussa Numantia luctu
Et patrios testata Deos, metuensque futuri
Non tulit. Et jam jamque animo majora capaci
Versat agens, tempusque trahit, rebusque secundis
Invigilat. Videt infestas impune cohortes
Bacchari effusa rabie per amœna locorum,
Spargere per lætas funesta incendia valles,
Et castas violare domos:—Fortuna timorem
Sustulit, et vano tumefecit pectora fastu.
Quid pulsos Laribus cives, quid cædis iniquæ
Insidias referam, et disjectis oppida muris?
Talia conspiciens subitas exarsit in iras
Vindice freta Deo justisque Numantia pœnis;
Bellorumque dedit signum, Segedæque petenti
Perpetuo sociam conjunxit fœdere dextram.
Audiit, insolitâ jamdudum mersa quiete,
Audiit, atque ausus Roma indignata rebelles
Obstupuit.—Parat arma, immiti exscindere ferro
Exosi generis stirpemque urbesque minatur.
Namque triumphato post mille pericula Pœno

Stabat ovans cœptis, animoque immensa movebat,
Jam Byrsæ meditata iras, jam ingentibus orbem
Consiliis amplexa, suisque adscribere quærens
Imperiis. Ergo tela insperata ciebit
Barbara gens famæque expers, ultroque lacesset
Terrarum dominam ?—Mox omnis ad arma calebit
Scilicet, audacique insurget Iberia bello !—
Fervet atrox animis, atque Orco devovet hostem.
  At non sic vestras nullo certamine partes
Deseruit Deus, aut virtus sic irrita fulsit,
Ultores patriæ, et vitaï prodiga corda !
Vos non imparibus vidit concurrere signis
Fulvius[1] :—en ! trepidæ retro fugêre cohortes,
Ut tesqua et fluvios montanaque claustra relinquens
Hostis adest novus, et campo descendit aperto.
—Hostem non Mauræ tremefecit penna sagittæ,
Non ingens elephas, pedibus licet agmina late
Sterneret, ac veheret castella minantia tergo.
Illum ultro jaculis et tortæ verbere fundæ

[1] Q. Fulvius Nobilior, the first Roman general sent against Numantia.

Excepêre viri, et rabidum, crebroque furentem
Vulnere, in Ausonias retro vertêre catervas.
Quid memorem sævasque hyemes, et iniqua viarum,
Quid conjuratas Romana in castra procellas?
Ipsi, indignati nuper dirumque minati
Supplicium, tremuêre Patres; infaustaque signa
Militiamque novam pubes delecta refugit.
  Nequicquam, vittasque ferens similisque precanti,
Pacem implorabat victor:—non ille recenti
Laude tumens, quanquam expertus felicia rerum.
Stant contra prohibentque Patres: pudor iraque segnes
Evicêre metus;—bellum, impacabile bellum,
Dirus amor regni, jurataque numina poscunt!—
Heu piget ambages Martis, vanosque triumphos
Indigenûm celebrare! pudet scelera impia Romæ
Et fraudes memorare ducum; pudet irrita sanctæ
Fœdera amicitiæ, totiesque in vota vocatos
Perfida cœlicolas!—Non illis profuit ensis,
Nil valuêre doli, nil ad prætoria Consul
Plurimus, heroüm famæque et nominis hæres,
Mansuetique animi Marcellus, et acrior armis
Pompeius, prædæque ferox Lucullus amore.

Ille sub obsessæ victor modo mœnibus urbis
Nocturnum accepit castris improvidus hostem;
Hic procul infausta fugit perterritus ora
Et populos molli tremefecit pace repôstos
Te vero ante alios, te mœsta atque aspera clades,
Infelix Mancine, manet; quem calle viarum
Conclusum angusto, præruptique objice montis,
Occupat hostis atrox, totumque intercipit agmen.
Heu nimium tantis diffisa Numantia rebus!
Quam pietas sua, quam virtus sincera, fidesque,
Prodidit immeritæ, sic Dîi voluere, ruinæ!
Non ibi, triste nefas! humana cæde fluentes
Impia nocturni tremuerunt orgia luci;—
Non grave servitium capti et fera vincula nôrunt;—
Sed vitæ patriæque, et si quid carius illis,
Reddidit immunes ultro miserata juventus,
Solam orans, solam tanto pro munere pacem!
Unus[2] erat, qui perjuros orare Quirites,
Romulidumque decus testari, umbrasque parentum,
Audebat, pactæque fidem defendere dextræ.

[2] Tiberius Gracchus.

Mox ille oppressus furiis occumbet iniquis,
Et vitam patriæ pro libertate reponet !—
  Bis denis adeo steterat volventibus annis
Magna opibus, major virtutibus, armaque Romæ
Irrita despiciens, vanasque Numantia vires;
Quum ferus a Libycâ rediens eversor arenâ
Victrices aquilas campis immisit Iberis
Scipiades.—Jacet illa, jacet, quam Roma tremebat
Inclyta Carthago, similesque, Numantia, pœnas
Tu dabis, et tolles victorem ad sidera famâ !
Spes ea certa duci.—Studiis ergo acrior arcem
Infestam aggreditur : turmarum lege solutos
Exercet cohibetque animos, effræna severo
Corda labore domat, reficitque enervia membra.
Jamque implacato trepidas effervere ripas
Hoste videt Durius; per montes ille per amnes
Vicit iter, mediique petens penetralia regni
Indefessus adest, atque urbem milite claudit
Eminus obsessis impendens. Heu quot ab illo
Tempore, quot miseris et quæ mala civibus instant !
Immeritæque vices, et inexpugnabilis hostis
Sæva fames ! nil dextra valet,—nil profuit ultro

Conseruisse manum,—nil expectâsse manentes
Immota statione viros;—mors dira minatur,
Pallida mors, lento consumens igne medullas!
Hinc scelus[3], hinc rabies: vitaque potentior ipsa
Victus amor, patrioque cadit sub vulnere proles!—
Quid mora?—non illi Capitolia ad alta sequentur
Victorem, aut Italis spectandi matribus ibunt—
Quid mora?—quin patria et cives, sanctique Penates,
Tecta, et templa Deûm,—quæ spes Fortunaque junxit,
Uno juncta rogo pereant, unaque ruina?
Nox erat, et tacitæ cœlo nigrante tenebræ
Regnabant,—insueta videns quum lumina Consul
Attonitus stetit,—attonitæ cinxêre catervæ
Suspiciuntque ducem.—Quo spes, quo gloria cessit?
Flamma Numantinis late bacchatur in aulis!
Exitus hic scelerum, perjuræ hæc præmia fraudis!
Interea templum lethalibus effera cœptis

[3] "Love, strong as death, retain'd his might no more,
And the pale parent drank her children's gore."
HEBER'S PALESTINE.

Appian speaks of similar instances having occurred during the siege of Numantia.

Stipabat glomerata cohors ;—furor omnibus idem,
Implicitæque manus, labrisque hærentia labra !
Uno omnes ardore calent ; juvenesque, senesque,
Fœmineique animi : lateri calet ipse paterno
Parvulus adjungens sese puer, armaque tollens
Conscius, ultores vocat in sua funera Divos !
At species miseranda virûm, miseranda vel ipsis
Hostibus :—inculti tanto squalore capilli,
Exsanguisque genis macies ; confecta suprema
Membra fame, et tremulo furialia lumina vultu.
Utque illi genibus flexis altaria circum
Horrendasque preces et vota infanda ferebant,
Agmina credideris rupto illætabilis Orci
Carcere, et Eumenidum pœnis elapsa sororum,
Luridaque in tenebris exercere orgia Manes !
Quisque suos—superest hoc unum pignus amoris—
Confodit obveniens ferro, generosaque rumpit
Pectora :—quisque sinu accipiens lætatur amicæ
Vulnera cara manûs, fidumque amplectitur ensem !
Ipse, Jovis sancta redimitus tempora vitta,
Ante alios, festumque canens Pæana sacerdos
Exultat, torquetque faces, ignemque ministrat.

Exilit ignis edax :—stridet vis effera leti,
Insurgensque cavo sublimis fornice flamma
Summa petit tecti ;—involvit niger omnia fumus !
Non illic dolor aut vox exaudita gementum,
Non matrum lamenta, et vani murmura luctûs :—
Lætitiæ interdum clamor ferus occupat aures,
Interdum, (si forte ruens incendia ventus
Dissipat, et crassum nebulæ dimovit amictum,)
Terribilis vultu emicuit pallente voluptas,
Romæ odium æternum, et virtus in morte triumphans !—
Nec tota pestis minus urbe, Aquilone secundo,
Ingruit :—en ! per tecta fremens, per compita, sævo
Omnia corripuit fluctu !—volat æthere turbo
Igneus, atque incensa rubent penetralia cœli :—
Tunc ingens fragor ;—et fundamina vasta domorum
Collapsæque trabes diram glomerare ruinam ;
Saxaque, candentisque immania pondera ferri,
In piceos solvi ventos :—jamque unus ubique
Volvitur, et liquido fervens igne æstuat amnis !—
Non Italus prædam optatam, spolia aurea, victor
Inde reportabit ! non longa per atria miles
Insultabit ovans, aut muros vertet aratro !